QUÆSTIONES
ET
RESPONSA
ERUDITORUM.

Pleraque ad Moralem

DOCTRINAM
&
INSTITUTIONEM

pertinentia.

AUTHORE
P. JOANNE KRAUS
Societatis Jesu.

(o)

Noviter reimpressæ.

BRUNSBERGÆ,
Typis Collegii Societatis JESU,
Anno 1720.

REIMPRIMATUR.

THEODORUS EPISCOPUS Varmienſis.

JOANNES MILLER

SOCIETATIS JESU,
Per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis.

CUm Libellum, cui Titulus est: Quæstiones & Responsa Sapientum; à Patre JOANNE KRAUS Societatis Sacerdote conscriptum; tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, & in lucem edi posse judicaverint: Potestate à Patre Nostro Michaële Angelo Tamburino Præposito Generali ad id mihi data, facultatem concedo, ut Liber typis mandetur. In quorum fidem has literas manu propriâ subscriptas, & sigillo officij mei munitas dedi.

PRAGÆ 10. Julii 1709.

Sa-

(o)

SApientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur.

Eccli 39.

Quæ-

QUÆSTIONES ET RESPONSA ERUDITORUM.

DECAS PRIMA.

QUæst. 1. Cujus rei malum est principium? ℟. Cujus exitus non cogitatur. *Magna pars hominum,* inquit Seneca de tranquillitate animi, c. 1. *sinè proposito vagantur, quærentes negotia: nec quæ destinaverunt, agunt, sed in quæ incurrerunt. Inconsultus illis, vanusq; cursus est, qualis formicis, per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur.* Hæc ille de cæca gente: de Sapiente autem Sapiens: (Eccl. c. 2.) *Sapientis oculi, in capite ejus,* ubi chaldaica Paraphrasis: *Sapiens contemplatur in principio, quid futurum sit in fine.* & Seneca in Regulis de moribus: *Nihil tibi*

subitum sit, sed totum antè conspicies. Cùm initia inveneris, exitus cogitabis.

Q. 2 Quæ sunt illa, quæ nemo prudens libenter aggreditur? ℟. Intimè agere cum Principe: bibere venenum: & arcana credere mulieri. Ex libro Ichnaletæ Indi, qui inscribitur: Specimen Sapientiæ Indorum, ex Dissertat. 1. apud Possinum.

Q. 3. Quid illud, quod vix bene unquam fit? ℟. Quod primâ vice fit. Ant. Vieira: Fabricando fabri fimus.

Q. 4. Quò nemo prudentum libenter accedit? ℟. Unde liber regressus non fit. Senec. de tranquill. c. 5. qui & addit: *His admovenda manus est, quorum finem aut facere, aut sperare possis. Relinquenda, quæ latiùs actu procedunt, nec, ubi proposueris, desinunt.*

Q. 5. Quandonam plùs facit dimidium, quàm totum? ℟. Plùs facit interdum dimidium, quàm totum: ut virgæ ad solem stantis modica inflexio umbram auget, immodica consumit: Ichnaleta Diss. 1. *Res mira*, inquit Euseb: Nierembergius in dictaminibus Moralibus;

libus; *quod in moralibus virtutibus majus est, hoc eas imminuit; excessus transit in vitium, solaq; mediocritas virtus est.*

Q. 6. Quæ domum velociùs feruntur, quàm egressa sint? ℞. Miles defunctus bello; nuncius, qui tristia significavit; & pleraque pecora post fatigationem.

Q. 7. Quæ non facilè cœpta, non facilè evertibilia? ℞. Primum: oppida & urbes. Secundum: literæ, & modus scribendi. Tertium: leges, & statuta Provinciarum. Quartum: Horologia, & divisio temporis, Quintum denique Tonsores. Gvevarra in præfat: Horologii principum ex Varrone, & Poëta:

Cerevisiæ Coctor, Tonsor, Pistorq; manebunt, Mundo stante, suo semper in Officio.

Q. 8. Quando negotium habet spem boni eventûs? ℞. Quando plùs virium est in latore, quàm in onere. Aristot: 1. Polit: & Seneca de tranquill. c. 5. Æstimanda sunt, quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ, debet enim semper plùs esse virium in latore, quàm in onere.

Q. 9. Quid illud, quod quamvis bene fiat, malè fit? ℟. Cùm quod debeat fieri in occulto, fit in publico; unde Pòéta:
Quod bene fit, malè fit, nimiùm si fiat apertè
Occultè dum fit, quod malè fit, bene fit.

Q. 10. Cujus rei melior est finis, quàm principium? ℟. Inutilis garrulitatis: de hoc Ecclesiastes c. 7. *Melior est finis orationis, quàm principium.* & Pòéta de garrulo Pòéta:
Quid nobis placeat recitato in carmine quæris:
Nihil mihi, crede, magis fine placere solet.

DECAS II.

QUæst. 1. Quid est, quod plerique videmus, neque tamen amplectimur? ℟. Id, quod in agendis meliùs est. *Video meliora, proboq́; deteriora sequor*, dicebat illa: & alius: *Nitimur in vetitum semper, cupimusq́; negata.*

Q. 2. Quæ cæteris sunt meliora? ℟. Amicus, qui utilia, non blanda svadet; subditus, qui ad veritatem, non ad gratiam servit: negotium, quod felicem exitum habet: laus, quæ à bonis datur:

datur: Princeps præsidentiâ non turgidus: dives rei suæ non nimis attentus; & sodalis rixam cavens. Ichnaleta dissert: 1.

Q. 3. Quomodo se sapiens habet ad suos? ℟. Genitores habet pro amicis: Fratres pro comitibus itineris: Uxorem pro contubernali: Filios pro tabellariis, memoriam Patris ad posteros perlaturis: Filias, ut adversarias in lite: Cognatos, pro fæneratoribus sua recepturis: ipse verò sibi debet esse solutus affectibus omnibus. Ichnaleta dissert: 9.

Q. 4. Quis tenet locum innocentiæ proximum? ℟. Cui malè agendi occasio defuerit. Rarus quippe, quem occasio non fecerit furem. *Occasio spelunca est Sathanæ, & os inferni, & insidiæ inhabitantis peccati.* Nieremb: in dictaminibus Christianis.

Q. 5. Quid agendum Sapienti in loco, ubi nullus est sapiens? ℟. Curandum, ut ipse tunc sapiens esse velit. de hoc Rabbi Hillel: nullus nebulo timet peccatum; nec idiota est vir pius; nec

qui erubescit, discit: neque iracundus docet: neque qui crebriùs ultro citraq; errat, sapiens fit: & in loco, ubi non sunt viri, da operam, ut virum præstes.

Q. 6. Quæ est homini per totam vitam pœnitendi materia? ℟. Stulta circa vitæ conditionem electio. Daniel Bartoli.

Q. 7. Quod est opus hominis eruditi? ℟. Adversùm neminem queri. *Alios accusare,* inquit Epictetus in Enchiridio, c. 10. *in calamitate sua, est hominis ineruditi: accusare autem se ipsum, ejus, qui erudiri cœpit: nec se, nec alium; eruditi.*

Q. 8. Cujus Mater non flet? ℟. Timidi, seu cauti. Ex Æmilio, in vita Thrasibuli. *Beatus homo,* inquit Salomon Prov. 28. *qui semper est pavidus, qui verò mentis est duræ, corruet in malum.*

Q. 9. Cui bono est eruditio? ℟. Nè saltem in theatro saxum supra saxum sedeat. Aristippus apud Lipsium de Amphitheatris, monuerat is nobilem virum, ut filium literis faceret imbui. Cui ille: quam ob utilitatem? respondit autem Aristippus: cùm fuerit in theatro, de eo non

non poterit dici: lapis ſuper lapidem ſedet.

Q. 10. Quid eſt periculum? ℟. Malum quod prudens prævidet, timidus fingit, juſtus non metuit, honoratus contemnit, fatuus invenit, temerarius quærit, infelix incurrit, Nieremb: in dictamin: general.

DECAS III.

QUæſt: 1. Quæ res deſtitutæ ſunt ſuis neceſſariis? ℟. Fluvius carens aquâ: terra non habens Regem: mulier deſtituta viro: & homo, non diſcernens bonum à malo. Ichnaleta diſſert: 7. Aliter: Conſiliarius nullius conferentiæ, Philoſophus nullius conſequentiæ, & Theologus nullius conſcientiæ.

Q. 2. Quæ civitas melior ipſa, quàm non ipſa? ℟. In qua boni quidem viri, plùs quàm ſibi competat habere non quærant; improbi autem, etſi quærant, habere non poſſint. Ariſtoteles 2. Politic. c. 5.

Q. 3. Quando inter litigantes tollitur contentio? ℟. Quando menſa, ſeu cœna parata eſt. Rabbi Joſe.

Q. 4. Quot aures Judex habet? ℞. Imprudens, habet tantùm unam, scilicet pro audiendo Accusatore. Judex sapiens habet duas, alteram pro Actore, alteram pro Reo. Interessatus habet tres: duas pro audiendis partibus, tertiam autem ibi, ubi nummus sonat.

Q. 5. Unde orta est lis? ℞. Ex meo, & tuo, nempe, quod volo, tu vis, sic orta est lis. Unde B. Jacobus in sua Canonica c. 4. *Unde bella, & lites in vobis? nonne hinc, ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.*

Q. 6. Quis debitor fortunatus? ℞. Qui nulli quidquam, nisi sibi debet, illi nempe, cui facillimè negare possit, cùm volet. Ex Seneca de tranqu: c. 8.

Q. 7. Quos homines, vellemus esse cæcos, & mancos? ℞. Judices: unde Pòëta ad Decianum Judicem, de munerum acceptione suspectum, ait:

Non volo te surdum, non mutum: te volo cæcum;
Non claudum, mancum te Deciane volo.

Q. 8. Quis dormit apertis oculis? ℞. Imbellis Justitia. Cùm enim punire illi

non

non ſit integrum, diſſimulare cogitur vitium. De principe dixit Alciatus in Emblematis:

Eſt leo, ſed cuſtos: oculis quia dormit apertis;
Templorum idcirco ponitur ante fores:

Q. 9. Quibus oportet, ut integram confeſſionem faciamus? ℞. Tribus: Cauſidico, Medico, & Theologo, unde Pòéta:

Integra Cauſidico narrãda eſt cauſa perito,
Et Medico morbus, crimina Theologo.
Sæpe loqui nocuit; tamẽ hic tacuiſſe nocebit:
Poſſe tacere ars eſt; ars quoq; poſſe loqui.

Q. 10. Quæ feriæ diutiſſimè durant in rebus publicis? ℞. Quæ dicuntur Juſtitium. Eſt enim Juſtitium, in quo non ſit Juſtitia, quæ, cùm in mundo rarò admodum adminiſtretur, ferè ſemper eſt juſtitium. unde Pòéta:

Quid rogo, Juſtitium eſt? quando, inquis Amigdale non ſit
Juſtitia: ergo omni tempore Juſtitiũ eſt.

Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia in terra, inquit Propheta Oſeas; *maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, inundaverunt.*

Et Pôéta metamorph. 1.
Victa jacet Pietas, & Virgo cæde madentes
Ultima cælestûm, terras Astræa reliquit.

DECAS IV.

QUæst: 1. Quandonam tandem viro etiam forti, desperandum? ℟. Nunquam. *Qui nihil potest sperare, desperet nihil.* De viro forti Horatius: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.*

Q. 2. Quid pejus bello? ℟. Pejor est bello timor ipse belli. Malus quippe rerum interpres metus, & pessimus in dubiis augur timor, cuncta per conspicilia augentia inspicit.

Q. 3. Malum ex dimidio quis superavit? ℟. Qui prævidit; qui non prævidit, ex dimidio superatus est. Daniel Bartoli in Geographia Politico-Morali.

Q. 4. Quomodo quis facilè invictus esse possit? ℟. Si in nullum descendat certamen, quod vincere ejus arbitrii non est. Epictetus c. 25. *Vis posse quid vis, velle, quod nequis, noli.*

Q. 5. Quot unaquæque res ansas habet?

bet? ℟. Duas, unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non eâ apprehende, quâ facit injuriam; ea enim ejus ansa non est tolerabilis. Sed illinc potiùs: esse fratrem, esse unâ educatum. Sic prehendes eum, quâ est tolerabilis. Epictetus c. 65.

Q. 6. Quis non creditur facilè hostem aggressurus? R. Qui non est hoste suo superior. Famian. Strada, de Bello Belgico. *Quis Rex iturus committere bellum, adversùs alium Regem*, inquit Christus D. Lucæ 14. *non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, alioquin adhuc eo longè agente, legationem mittens, rogat illa, quæ pacis sunt.*

Q. 7. Quod magnum hominis malum? ℟. Non posse ferre malum. Bion. Ægrè toleras dolorem? igitur velles minorem. Hoc ipso, quod non velis ferre, magnum facis. Solùm ferendo fit minor: Nieremb: in Stoicis. *Tu nè cede malis*, monet Pòëta; *sed contrà audentior ito.*

Q. 8. Quem nemo timet? ℟. Qui omnes timet, Quem verò quisque meri-

tò timet? ℟. Quem immeritò læsit. At quem sapiens timet? ℟. Unum suprà: alterum infrà est: ibi DEUS, infrà infernus.

Q. 9. Quibus rebus regitur mundus? ℟. Libro; & Gladio: Lege, & Potentiâ: Sapientiâ, & Viribus. Seu regitur duplici Capite, quorum alterum est viva Bibliotheca, alterum viva portat castra. Clementis VIII. Symbolum fuit Pedum, & Gladius, utrumque connectente Lyrâ. Lemma: *Nihil ille reliquit*, scilicet nihil intentatum. Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. Tessera fuit: *Consilio, & industria.* Josephi I. Regis Roman: *Amore, & timore.*

Q. 10. Quì cumprimis timendi? ℟. Timidi. Dolis enim supplent virium defectum, & quod nequeunt animo, præstant insidiis. Minùs autem habet periculi hostilitas aperta, quàm dolus occultus. Nieremb: in dictam. prudent.

DECAS V.

QUæst. 1. In qua civitate malè provisum viris? ℟. In qua malè provisum est circa mulieres. Aristot: 2. Polit:

lit: c. 7. unde ait: *Lenitas in mulieres, & ad propositum Reipublicæ nocet, & ad directionem civitatis: & in quacunque Republica malè provisum est circa mulieres, in ea putandum est medietatem civitatis esse neglectam.*

Q. 2. Quæ sunt, quæ omnes passim vera affirmant, & quibus omnes pænè contra faciunt? ℟. Ex Lipsio, l. 1. Elector: c. 5. *Tam malum est habere nummos, non habere quàm malum est. Tam malum est audere semper, quàm malum est pavere semper. Tam malum est tacere multùm, quàm malum est multùm loqui. Tam malum est foris amica, quàm malum est uxor domi. Nemo non hac vera dicit: nemo non contra facit.*

Q. 3. Quæ sunt, quæ domo egressa, nunquam ad eandem reverti contingit? ℟. Fides Principis semel, authoritasque amissa. Aliter Pòéta:

Tempus, Virginitas, verbum, cum fluminis unda,
Hæc egressa semel, non nôrunt deinde reverti.

Q. 4. Quid est in hospitio luxuriosi

riosi turpissimum? ℟. Hospes. *Neque quidquam domi tuæ turpiùs est, quàm tu*, ait Cicero in Sallustium, & subjungit: *Si* (Pater tuus) *nunquam in vita tua peccavit, tamen majorem injuriam Reipublicæ facere non potuit, quàm quòd te talem filium genuit.*

Q. 5. Quis potenti caret adversario? ℟. Uno caret, qui uno oculo, duobus, qui utroque oculo orbatus est.

Q. 6. Quæ casta? Quam nemo rogavit. Aliter: quæ de utero translata ad tumulum. Inter Fideles tamen numerantur innumera lilia, inter quæ dilectus pascitur, hinc illud:

Iesu Corona Virginũ, qui pergis inter lilia,
Septus choreis Virginum, sponsus decorus gloriâ.

Q. 7. Qui oculi minùs rectè sunt ispositi. ℟. 1. Timentis, cuncta enim illi videntur, ut leo in via. 2. Sperantis, cuncta enim illi videntur propinqua. 3. Odientis, cuncta enim illi videntur, ut castra. 4. Amantis, cuncta enim illi videntur formosa. Unde Pòeta:

Omnis amor cæcꝰ, non est amor arbiter æquus

Nam

Nam deforme pecus judicat esse decus.

Q. 8. Quæ rarò tegit faciem? ℟. Formosa. unde Pòéta in Idam:

Quid larvâ geris Ida, cupis formosa videri:
Fallere; nam rarò pulchra tegit faciem.

Q. 9. Quid formam sequi solet? ℟. Diversa accidentia; seu munuscula. Sed inter accidentia illud facilè primum, quod est periculum pudicitiæ. unde Pòéta:

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

& Fam: Strada de bello Belg: *Propè se se consequuntur: proponi formam, & exponi pudicitiam.*

Q. 10. Quæ sunt dotes mulierum? ℟. cum Pòéta:

Mentiri, nere, lacrymari, nil[illegible] ta[illegible]e,
Decipere, veræ sunt dotes in [illegible]
Vulpes vult fraudem; lupus agnum[illegible]
mina laudem.

DECAS VI.

QUæst. 1. Quis nunquam solus? ℟. Amor. Unde Valerii Solonii Imperatoris Tessera fuit: *Magnum satellitium Amor.* Sed & Terentius in Eunucho,

cho, ait: *In amore hæc omnia insunt vitia: Injuriæ, suspiciones, inimitiæ, induciæ, bellum, pax rursum.*

Q. 2. Quis de forma non rectè judicat? ℟. Amantes. ita Fabatius, & Plutarchus Platonicus q. 1. Amantem res amata cæcum facit. *Isti præposterè officia permiscent*, inquit Seneca l. 1. ep. 3. *qui contra præcepta Theophrasti, cùm amaverint, judicant*, & S. Anselmus Libro, cur DEus homo, c. 1. *Perversus ordo, amare, ut intelligas, rectissimus, intelligere, ut ames.*

Q. 3. Quandonam primum inter amicos divortii periculum? ℟. Cùm suspicio, & phantasia colludere cœperint. Daniel Bartoli.

Q. 4. Quid agit, qui quempiam valde curat? ℟. Qui curat alium, alium negligit. ita Epictetus: *Non potest fieri* inquit c. 18. *Quin is, alterum qui curat, alterum negligat.*

Q. 5. Quis minùs gaudet, minusq́ue simul dolet? ℟. Qui nulli familiaris admodum est. unde Tragicus:

Nulli te facias nimis sodalem;

Gau-

Gaudebis minùs, & minùs dolebis.
Qua de causa Venus, cùm Cupidinem filium suum, jam nimiùm hilarem, jam nimiùm mœstum experiretur, eidem alas succidisse fertur, ne societates, ex quibus illas vicissitudines domum ferebat, volatu accedere posset.

Q. 6. Quæ sunt amoris divisiones? ℞. Amare, à quo non possis amari, erroris est: amare, à quo possis non amari, periculi est, amare, à quo non possis non amari, si ames, securissimæ felicitatis est. Error est in amore temporalium, periculum est in amore hominum; in amore DEI securitas est. Nieremberg: in dictamin: Christianis.

Q. 7. Quænam agunt in distans? ℞. Fama, quæ absentes vel commendat, vel vituperat. Pecunia apud alium, elocata, quæ creditorem divexat, & amor absentis, qui distantem cruciat, unde de ultimo Pòëta:

Uror amore miser: tantoq; potentiùs uror,
Quantò qui me urit, longiùs ignis abest.

Q. 8. Quæ res, cùm deberet esse vinculum præcipuum amoris, maxima dis-

sensi-

sensionum causa est? ℟. Idem velle. Seneca l. 3. de Ira. *Quod vinculum amoris esse debebat, seditionis, atq; odii causa est: idem velle.* Cùm Francisci I. Regis Galliæ Legatus à Carolo V. Burgundiam pro suo Rege peteret, respondit Carolus: *Idem prorsus volo, quod Franciscus Frater meus.*

Q. 9. Quandonam amicitia etiam inter amicissimos solvitur? ℟. Cùm eorum alter ad honores evectus fuerit. Honores enim, ut est parœmia, mutant mores, sic & amores. Unde cùm Franciscus Ximenes Cardinalis esset electus in Archi-Episcopum Toletanum, idq; amico significâsset, ille dignitatem gratulatus, simul se dolere ajebat: quòd optimum amicorum perdidisset.

Q. 10. Quæ sunt conservativa Amicitiæ? ℟. Pileus, qui ob honorem deponitur; charta, quæ inscripta amico mittitur; & vitrum, quod eidem propinatur.

DECAS VII.

QUæst: 1. Quæ beneficia malefacti speciem habent? ℟. Malè locata, juxta illud Ennii: *Benefacta, malè locata,*

ta, malè facta arbitror. Quare Cicero 2. Offic: *Meliùs apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collocari puto.*

Q. 2. Quamdiu beneficia grata? ℟. Dum exsolvi posse videntur, ita Tacitus l. 4. Annal: *Beneficia eò usq; læta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multùm antevenêre, pro gratia odium redditur.* Et verissimè quidem, quid enim illud hominis, quod beneficiis mactari velit.

Q. 3. Quis est habitus beneficiorum? ℟. Posse benefacere, est virtutis, & muneris Regii, velle benefacere, est dotis Divinæ. Ex adverso posse malè agere, imbecillitatis est humanæ: actu malè agere, summi est periculi: velle malè agere, animi vilis, & abjecti: velle aliis malè, dæmoniaci.

Q. 4. Qui sunt beneficis suis plerumque ingrati? ℟. Dominorum famuli. Contingit enim, ut dum dona ad alios deferunt, partem, vel totum surripiant, neque tamen ulli pro hoc grates pendant. Cùm Petrus de Campo, Episcopus Uticensis, cuidam Religioso misisset sex Capones, famulus unum eorum retinuit,

tinuit, quod advertens Religiosus, significavit Episcopo, gratias se habere pro quinque caponibus; pro sexto famulo incumbere gratias agere, ùt qui unum retinuisset.

Q. 5. Quid malè negaveris alteri? ℞. Quod ipse aliquando petiturus es. Sicut neque bene expetieris, quod es negaturus. Nieremb: in dictamin: prudent.

Q. 6. Quomodo quis gratis, gratus esse possit? ℞. Si, quæ accepit, liberè enuntiet accepta esse; tunc enim nihil præter verba expendet, & tamen gratus habebitur.

Q. 7. Quid cum sole plerumque occumbit? ℞. Memoria acceptorum beneficiorum, quare etiam dicitur, quòd gratitudo rarò consenescat; quippe quæ ultra diem vix vivat. Ex adverso memoria acceptarum injuriarum, cursum Saturni habet, qui lentissimus, & feralis simul est.

Q. 8. Quæ res secretum poscit, ut felicem eventum habeat? ℞. Donum, quod pauperi datur, unde Prov. 21. Munus absconditum extingvit iras, & donum

in

in sinum, indignationem maximam. Neque ullus furum fortunatior est, quàm is, qui occulto dono pauperis cor & affectum sibi vendicat. Agesilaus Rex Apelli donum, cùm ægrotantem invisisset, sub cervicem inscio subtruserat. Deprehendit aurum puer, qui lectum parabat, Heroque insinuavit: tum Apelles silentium imperans, sine inquit, hoc Regis furtum est, & miranti; hoc enim dono, ait: Rex cor meum furatus est.

Q. 9. Quod donum, ùt ùt magnum, vile tamen? R. Quod multis; vel communitati toti confertur. Quare Aristoteles l. 4. Ethic: monuit, præmia sine discrimine danda non esse, Et Strada de bello Belg: *Faciliùs beneficio capiuntur singuli, quàm multitudo.*

Q. 10. Quid deteriùs, quàm æqua petenti non dare? R. Tardè negare. Unde Vieira: durum est, *Non;* sed multò duriora sunt verba bona, quæ illud *Non* tegunt, & in longum trahunt, de hóc ad Phœbum, Martialis;

Mutua te centum sestertia Phœbe rogavi;
Cunctaris, dubitas: jam rogo, Phœbe nega.

Et idem ad Pœtum:

Sex sestertia si statim dedisses,
Deberem tibi pro ducentis
At nunc cùm dederis diu moratus,
Sex sestertia Pæte perdidisti,

DECAS VIII.

Uæst. I. Quæ res pejor sub cinere, quàm extra? ℟. Odium. *Meliora sunt,* inquit Salomon Prov: 27. *vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* P. Licinii Valeriani Imperat. tessera fuit: *Amicum, inimicum fugito.* Item: *Non acerba, sed blanda verba timenda.*

Q. 2. Quorum hominum major numerus? ℟. Antipodarum; plerique agendo, & sentiendo aliis obnitimur.

Q. 3. Quibus rarò, vel nunquam convenit? ℟. (*corvus,*
Nunquam conveniunt, vel rarò: noctua,
Nec corrivales, nec super osse canes.

Q. 4. A quibus cavendum viris Principibus? ℟. A saccarata lingva, & à piperato corde. Bogislaus VIII. Pomeraniæ Dux.

Q. 5. Quid habent pessimi optimum?

mum? ℞. Quòd se mutuò per arma plectant: hoc pessimum, quòd sinè scelere non plectant.

Q. 6. Quis maximus hominum error circa bellum? ℞. Eorum, qui bellum arbitrantur esse adjectivum. Bellum, inquit Nierembergius in dictaminibus Regiis, alitur cædibus hominum, substantiâ Regnorum, exactionibus, & tributis populi; sistit commercia; militem in licentiam accendit: flammis, & vastationibus replet universa. dic tu esse bellum.

Q. 7. Cujus cadaveris bonus est odor? ℞. Occisi hostis. Aulus Vitellius Imperator, cùm locum pugnæ, in quo Otto profligatus fuerat, amissis suorum quadraginta millibus, lustrâsset, experireturq; cadavera putrescentia fædum olere, ridendo dixisse fertur: *Bonus odor hostis; melior occisi civis.*

Q. 8. Cui nemo facilè invidet sepulchrum? ℞. Hosti suo. Henricus IV. Imperator, cùm Merseburgum venisset, ubi adversarius illius Rudolphus Sveviæ Dux splendido in monumento

ſepultus quieſcebat, audiviſſetque ſvadentes, ut adverſarium ſuum exhumari faceret, reſpondit: *Sinite illum, utinam omnes hoſtes mei tam ſplendidè quieſcerent.*

Q. 9. Quis dierum longiſſimus? ℟. Dies Martis. Dies Solis longior ſolito fuit ſub Joſve: dies Lunæ, cum Alcumena Herculem dicitur concepiſſe: at nos jam multos annos diem Martis habemus.

Q. 10. Cui rarò credendum? ℟. Timori, & dolori rarò, amori, & iræ nunquam. Franciſcus II. Valeſius in Symbolo habuit aureum nummum, qui ad lapidem Lydium explorabatur, cum lemmate: *Sic ſpectanda fides.*

DECAS IX.

QUæſt. 1. Quæ non ſunt noſtri arbitrii? ℟. Ea, quæ ipſi non agimus. unde Epictet. in Ench. *Noſtri arbitrii non ſunt: corpus, pecunia, gloria, imperia; ad ſummam, ea, quæ ipſi non agimus, omnia.* Et Satyricus: *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto.*

Q. 2. Quis infortunatus? ℞. quem appetitio frustratur. Epict: c. 6. Porrò frustrari necesse erit, si ea, quæ nostri arbitrii non sunt, desiderâris.

Q. 3. De quibus non multùm sperat Prætor? ℞.

Inconstans animus; oculus vagus; instabilis pes:
Hæc tria sunt hominis, de quo nunquam bona spes est.

Aliter: *Fœmina dum plorat, dum rusticus ebrius orat,*
Lusor dum jurat, nulla hic devotio durat.

Q. 4. Quid illud, quod sagittariis aberrandi causâ non ponitur? ℞. Meta. Epictetus c. 34.

Q. 5. Cujus rei nullus est terminus? ℞. Quæ semel modum transierit. Epictetus c. 51. & Prov: 18. dicitur. *Impius, cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.*

Q. 6. Quæ virtus, omnibus cæteris diffugientibus, homini solet esse residua? ℞. Pœnitentia; seu Metanea, quàm Veteres sceleratissimo cuique comitem dabant.

Q. 7. Qui non facilè perveniunt ad sapientiam? ℟. Qui se putant pervenisse. *Puto*, inquit Seneca, de tranquill. c. 2. *multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putâssent se pervenisse.*

Q. 8. Qui Artistæ vitandi? ℟.

Unum Grammaticum, Logicumq́; & Rhetora vita:
Hos modò vitaris; cætera tuta tibi.
Quis Rhetor? Mundus. Fallax Logicus? Cacodæmon.
Semper declinans est Caro Grammaticus.

Q. 9. Quæ res nomina mutârunt? ℟. Garrulitas olim, nunc affabilitas dicitur: dissolutio, alacritas: avaritia, providentia: curiositas, circumspectio: obstinatio, constantia: vana gloria, generositas: præsumptio, spes: amor carnalis, charitas. Albertus M. in Paradiso animæ, in prologo. Et juxta Senecam in Hercule furente: *Prosperum, & felix scelus, virtus vocatur.*

Q. 10. Quæ sunt vestigia, ex quibus proficiens deprehendi possit? ℟. Neminem reprehendere: neminem laudare: neminem culpare: neminem accusa-

cusare: nihil de seipso prædicare; quasi aliquis sit, aut aliquid sciat. Cùm in aliqua re impeditus fuerit, aut prohibitus, seipsum accusat. Si ab aliquo laudatur, secum ipse deridet laudatorem. Si reprehenditur, non defendit se; sed ritu infirmorum circuit, metuens, nè statum illum convellat, priusquam is confirmetur. Omne desiderium à se dependens habet: aversationem ad ea sola, quæ naturæ eorum repugnant: animum verò ad ea, quæ nobis parent, transtulit: appetitione ad omnia, remissâ ùtitur: sive stolidus, sive indoctus habeatur, non curat. Denique ut inimicum, & insidiatorem, seipsum observat. Epictet: c. 72.

DECAS X.

QUæst. 1. Quæ tutiùs considerantur in abstracto, quàm in concreto? ℞. Vitia: in concreto autem virtutes. Si enim vitium consideremus in concreto, incipiemus homines odisse: si virtutem, homines propter virtutem amabimus.

Q. 2. Quid deterius, quàm esse mortuum? ℟. Vivere mortuum, scilicet, nihil agendo. Unde Curius Dentatus, ut habet Seneca de tranquillit. c. 7. dicere auditus: *Malle se esse, quàm vivere mortuum.*

Q. 3. Quô inter homines nihil turpius? ℟. Grandi sene, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem. Idem Ibid.

Q. 4. Quis communis tranquillitatis inimicus? ℟. Comes perturbatus, & omnia gemens. Idem c. 7. Cæterùm quæ domum turbant, sunt: campana sinè intermissione sonans, canis ad omnia latrans, & mulier, cui cum viro malè convenit.

Q. 5 Quis idem optimus, simul & pessimus? ℟. Optimus malorum. Talis enim, qui inter malos primatum tenet, cæteros omnes malitiâ superet, necesse est. Optimus autem malorum; in sensu Martialis, ejusmodi dicitur, qui ad Attalum hæc scribit:

Miles es, & malus es, bonus es tamen Attale miles;

Mi-

Miles enim ùt canis est, qui malus, ille bonus.

In quem sensum etiam idem scripsit ad Labullum, l. 12. ep. 30.

Non es crede mihi bonus: quid ergo;
Ut verum loquar: Optimus malorum.

Q. 6. In quo sapiens, & insipiens differunt? ℞. Sapientes sunt similes floribus, qui pulchriùs se vestiunt parte, qua cælo propinquiores sunt: insipientes pro rapis habe, quæ se totas terræ immergunt.

Q. 7. Quomodo se habet animus bonus in re mala? ℞. Ut dimidium mali. *Perdit dimidium, qui malè cœpit opus.*

Q. 8. Quandonam sapiunt homines? ℞ Plerumque serò. *Serò Phryges sapiunt*, inquit ille. Alius autem: *Piscator ictus sapit.*

Q. 9. Quandonam vulnus vulnere curandum? ℞ Cùm alioqui immedicabile est. Ita Flavius Valerius Constantinus Imperator in sua tessera: *Immedicabile vulnus ense recidendum est, nè pars sincera trahatur.* Ejusdem effatum fuit: *Imperatorem nemini, nè suis quidem membris parcere debere.*

Q. 10. Qui mali Curatores? ℟. Olitor, qui radicitus olus evellit; Paſtor, qui oves deglubit, non tondet; & Chirurgus, qui nimis emungit; ejuſmodi enim pro pure elicit ſangvinem. Alexander Macedo, cùm quidam ſvaderet, civitates ſubjectas majora tributa pendere poſſe, ſapienter reſpondiſſe fertur: *Odi Olitorem, qui radicitus olera vellit. Amo emunctorium, quòd ardenti faculæ ſordem aufert, lucem non adimit.*

DECAS XI.

QUæſt: 1. Quid Mundus? ℟. Ex Gvaltero Pauli:

Ubi plura ſunt timenda, quò major eſt ſecuritas:
Ubi plura ſunt videnda, quò major eſt obſcuritas.
Ubi deficit facultas, ubi nocet innocentia:
Ubi ſeparat ſimultas, ubi decet indecentia.
Ubi pudor eſt pudori, ubi licet licentia:
Ubi ſtupor eſt ſtupori, ubi ſolita inſolentia.
Ubi ſtatur arroganter, ſtatûs ubi myſterio:
Res ſeriæ oſcitanter, nugæ geruntur ſeriò.

Q. 2. Quod maximum ex punctis? ℟. Mun-

℟. Mundus! *O quàm ridiculi ſunt mortalium termini!* inquit Seneca l. 1. quæſtionum Natural: *Punctum ſanè eſt illud, in quo navigamus, in quō bellamus, in quo regna diſponimus.*

Q. 3. Quæ figura mundi? ℟. Prætериens. Globum terraqueum Anaximander dixit eſſe inſtar columnæ: Plato, viginti angulorum: Anaximenes: inſtar menſæ: Leucippus, inſtar tympani: Democritus, inſtar orbis menſalis: Ariſtoteles, rotundum: ſed optimè Apoſtolus: *præterit*, inquit, *figura hujus mundi.*

Q. 4. Quod illud, quod ſapientibus ſemper minùs, atq; minus apparuit? ℟. Terra! Terræ ambitum Ariſtoteles poſuit quinquaginta millium milliarium Italicorum. Centum annis pòſt, Hipparchus dixit eſſe 34600. milliarium. Poſt hunc Dionyſiodorus ſtatuit eſſe 33000. milliarium. Ptolomæus 500. annis poſt Ariſtotelem, cenſuit eſſe 22500. milliarium. Alfranus mille trecentis annis poſt Ariſtotelem, dixit eſſe 20040 milliarium. Sunt hodie, qui minorem faciunt; adeò ſemper mundus decreviſſe viſus!

Rectè igitur cum Bòëtio l. 1. de Consol: dicimus: *Rara si constat sua forma mundo, si tantas variat vices; crede fortunis hominum caducis, bonis crede fugacibus.*

Q. 5. Qua ratione mundus potissimùm decipit? ℟. Repræsentando præsens, ut semper futurum. *Hinc morimur ut mortales*, inquit Seneca: *vivimus ut immortales.*

Q. 6. Quis in hoc mundo servus servorum? ℟. Qui omnibus placere voluerit, mancipium autem, qui passionibus suis obtemperat.

Q. 7. Quod mobile, maximè immobile, & quod immobile, maximè mobile? ℟. Cælum maximè est mobile, & tamen extra suum locum non exit. Terra verò in æternum stat, ut dicunt Scripturæ, & tamen illâ nihil mobilius, inconstantiusq;, unde Pòëta:

Usq; licèt cælum moveatur, constat: at Orbis
Sit licèt immotus, errat in orbe tamen.

Q. 8. Sinè qua re difficulter respiratur in hoc mundo? ℟. Sinè aura favoris. Hæc autem aura non faciliùs attrahitur, quàm ab auro, qui ejus magnes est.

Q. 9.

Q. 9. Quando multi Principum liberantur à Tyrannidis ſuſpicione? ℟. Cùm agunt animam. Flavii Domitiani Imperatoris teſſera fuit: Paucis notum eſt, quàm miſera ſit Principum conditio; qui à tyrannidis ſuſpicione tum demum liberantur, cùm agunt animam.

Q. 10. Quæ moneta potiſſimùm in uſu, in hoc mundo? ℟. Adulatio, nunquam illa, niſi apud ſapientes, devalvationem timet.

DECAS XII.

QUæſt. 1. Quot ſunt, qui non dormiunt? ℟. Octo. Dives, non habens fidelem ſervum. Homo, alteri necem machinans. Amator, deperiens mulierem. Conſcius, ſe falſum crimen impoſuiſſe illi, qui ulciſci poteſt. Pauper, à quo exigitur, quod non habet. Æger, deſtitutus medico. Maritus adulteræ. Diveſq; timens inopiam. Ichnaleta diſſert: 7.

Q. 2. Quæ eſt pleriſque tam felicitatis, quàm infelicitatis Mater? ℟ Phantaſia. *Homines,* inquit Epictetus in En-

chiridio c. 10. *perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus* Et Nierembergius in Stoicis: *Usitatissimum est, nos apparentiis falli.* Horatius quoq; de arte: *Decipimur specie.* Et Virgilius in Æneide: *Possunt, quia posse videntur.*

Q. 3. Quis habet assiduum bellum? ℞. Qui non est nummatus, cum multiplici enim miseria continuò ei luctandum. Imò & nummatus, nam Ecclesi: 5. dicitur: *Saturitas divitis, non sinit eum dormire.* Et Fam: Strada in bello Belg: *Pecunia sive desit, sive suppetat, seditiosa res est.*

Q. 4. Cui domi suæ nihil obsignatum? ℞. Qui, quos fideles arbitratur, furaces servos habet.

Q. 5. Quid molestiùs, quàm peculium non habere? ℞. Perdere; tolerabilius enim, atque faciliùs est, aut non habuisse, aut non acquirere, quàm habita amittere. *Ideoq;* inquit Seneca de tranquillitate, c. 8. *lætiores videbis, quos nunquam fortuna respexit, quàm quos deseruit.*

Q. 6. Quid illud, quod omnes prætendentes in hoc mundo ſibi auferri vellent? ℞. Spes. collatione nimirum beneficii, quod prætendunt. unde Pòëta:
Spes mea te ſpectat fortunatiſſime Princeps;
Tu mihi ſpem miſero tolle, beatus ero.

Q. 7. Quandonam volucribus neceſſe decurtari alas? ℞. Dum in iisdem nimiùm excreſcit, & producitur cauda, dicebat Italus de eo, qui copioſam alebat familiam, unde ad inopiam redigebatur. Julii Conſtantis Imperatoris teſſera fuit: *Creſcente ſuperbiâ decreſcit fortuna.*

Q. 8. Quandonam divitum multiplicantur opes? ℞. Cùm abſumuntur. Dum enim intra ciſtas hærent, unius ſunt, & dominii, & hoſpitii; at dum conſumuntur, plurium fiunt, unde Pòëta:
Nunquā deficiunt Charites; cùm dantur, habentur,
Cùmq; abſumuntur, multiplicantur opes.

Q. 9. Quis eſt curſus mundi? ℞. Sicut heri, & nudius tertius. quare Pòëta: *Sicut it, ire ſinas, nam ſicut it, ivit, & ibit.* Aliter: mundi curſus eſt cancrinus,

nus, quare ille apud Philippum Picinelli cancro adſcripſit: *Orbis iter.*

Q. 10. Quot modis pereunt Provinciæ & regna? ℞. Quatuor: Ambitione Gubernantium, avaritiâ Miniſtrorum, neglectu Divinorum, & ſtatûs Eccleſiaſtici contemptu, Nieremberg: in dictamin: Regiis. Aliter Pòéta:

Alta cadunt: Inflata crepant: Tumefacta premuntur.

DECAS XIII.

QUæſt. 1. Quis timendus divitibus? ℞. Ille, qui paupertatem timet. Egeſtas quippe Magiſtra fraudum eſt, & quod deeſt virium, ſupplere ſolet nequitiâ, eò atrociore, quò infirmiore.

Q. 2. Quod idem ſolatium miſerrimis, ac tormentum feliciſſimis? ℞. Incremento locum non eſſe. *Quidquid enim ad ſummum pervenit, incremento non relinquit locum,* ait Seneca ſvaſoriâ 1. inde torquetur felix, & reſpirat miſer.

Q. 3. Quid facit multiplicans ſervos? ℞. Multiplicat rapinas. De hoc Rabbi Hillel. qui multiplicat carnes, qui

mul-

multiplicat vermes: qui multiplicat divitias, multiplicat curas: qui multiplicat uxores, multiplicat veneficas: qui multiplicat ancillas, multiplicat ſcelus: qui multiplicat ſervos, multiplicat rapinas.

Q. 4. Quid homini nunquam occurrit ſolum? ℞. Calamitas. Ajunt vulgò, inquit Ichnaleta diſſert: 2. catenâ connexas quadam per orbem commeare calamitates, nec unquam uni ſingulares occurrere. Et Strada: *Solitaria non incedunt infortunia.*

Q. 5. Quis ſemper vel fuit, vel voluit eſſe miſer? ℞.

Regum ſolicita, quicunq; ſeneſcit in aula,
Aut fuit; aut ſemper poſtulat, eſſe miſer.

Q. 6. Quis ſemper pauper? ℞. Qui ſemel pauper.

Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane;
Dantur opes nullis, nunc, niſi divitibus.
Martialis.

Q. 7. Quis non ſat firmus ſtetit? ℞. Qui cecidit Boetius de Conſol:

Quid me felicem toties jactâſtis amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

Q. 8. Quæ felix oblivio? ℞. Rerum,

quæ

quæ perditæ, ampliùs recipi non possunt. Friderici III. Imperatoris, hæc fuit Tessera: *Rerum irrecuperabilium, felix oblivio.*

Q. 9. Cui semper malè? R. Semper malè ominanti, meris enim in timoribus, ejusmodi homo vivit. Justini II. Imperatoris Tessera fuit: *Malè ominanti semper malè est.* Multa, quæ non sunt, inquit: Nierembergius, à metu esse incipiunt. Timens bis patitur mala, dum sunt, & dum formidantur. Malum absque remedio, timere omnia, sinè discrimine. Qui ad omnem motum pavescit, ante necessitatem angitur; & ultra necessitatem affligitur.

Q. 10. Quid illud, quod etiam ii habent, qui aliud nihil habent? R. Spes. Miles Alexandri, omni possessione in patria relictâ, roganti, quid sibi reservâsset, respondit: Spem acquirendorum. Nota est Pandoræ pixis, ex qua dum universa evasissent, solam spem, Dea retinuit. de illa Pòeta lib. 1. de Ponto Eleg. 7.

Hæc dea, cùm fugerent sceleratas Numina terras,

In

In diis invisa sola remansit humo.
Hæc facit, ut videat, cùm terras undiq; nullas
Naufragꝰ in mediis brachia jactet aquis.
Et alius: *Spes alit agricolas, spes sulcis semina credit,*
Spes etiam durâ solatur compede vinctū.
Nemo pauperior, inquit Nieremb: in dictamin: moralibus, *quàm qui spem non habet: ubi omnia nos derelinqvunt, sola illa perstat fidus Achates.*

DECAS XIV.

QUæst: 1. Quomodo vivitur in hoc mundo? ℞. Spirando, respirando, aspirando, exspirando. Potissimùm autem ad altiora semper, atque altiora aspirando.

Q. 2. Quid illud, quod crescit eundo, decrescit quiescendo? ℞. Fama, Virg: 4. Æneidos.

Fama malum quo non aliud velociꝰ ullum;
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo:
Parva metu primo, mox sese attollit in auras
Ingrediturq; solô, & caput inter nubila condit.

Q. 3.

Q. 3. Quibus rebus plerumque àér plenus est? ℟. Icaris. Respice aulas Principum! ô quanti *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.*

Q. 4. Quid illud, quod neque quæritur, neque possidetur, neque dicitur, neque cogitatur sinè aspiratione? ℟. Honor. *Donec eram sospes*, inquit Pòëta: *tituli tangebar amore, quærendiq; mihi nominis ardor erat*: & de cupiditate honoris, dixit Maro: *Stimulos sub pectore versans.*

Q. 5. Quibus gradibus ascenditur ad honores? ℟. Argenteis, aureisque. Non sic olim: Romæ nulli integrum erat ad Ædem Honoris penetrare, nisi per Virtutis Sacrarium. Sed quæres; quibus gradibus ab honore descendatur? ℟. Sæpe uno tantùm, & jam in nullo gradu eris! quippe & hic facilis descensus! Seneca de Benef. *Non his gradibus, quibus ad summa perventum est, retro itur: sæpe inter fortunam maximam, & ultimam nihil interest.*

Q. 6. Quid cuivis accidere potest? ℟. Quod cuiquam potest. De Carolo V. ferunt

runt Historici, quòd cùm Franciscum I. Galliæ Regem captivum haberet, illeq; Cæsari monitorium parieti carbone inscripsisset: *Hodie mihi, cras tibi.* Carolus arrepto eodem carbone, dicto subscripserit: *Homo sum; nihil humani alienum à me puto.* Id, quod voluit Publius Pòëta, cùm dixit:

Cuivis potest accidere, quod cuiquã potest.

Q. 7. Quæ prima apud omnes nationes, & lingvas persona? ℟. Ego. Seu quisq; sibi est primus: de hoc Pòëta:

Tu persona secunda: ille ultima: Prima Ego: Nostrûm,
Nemo tamen sibi, non esse videtur Ego.

Q. 8. Quid interest inter solium, & aliena genua? ℟. Sæpe tantùm horæ momentum. Seneca de tranquillit: de Fortunæ Ludo Bòëtius l. de Consol. Philosophiæ:

Hæc cùm superbâ verterit vices dextrâ
Et æstuantis more fertur Euripi
Dudum tremendos sæva proterit Reges,
Humilemq; victi sublevat fallax vultum;
Magnumq; suis monstrat ostentum, si quis
Visatur unâ stratus, ac felix horâ

Flavii

Flavii Arcadii Imperatoris Tessera fuit: *Maxima paulatim ex minimis: minima subitò ex maximis.*

Q. 9. Quandonam vilissimo cuique crescit audacia, & præsumptio? ℞. Cùm se timeri sentit. Strada in bello Belg:

Q. 10. Quis Icaro infelicior? ℞. Qui ex vero, & sine fabula ex alto cecidit. Nam illud, quod Horatius de Icaro dixit: *Ceratis ope Dædalea nititur pennis, vitreo daturus nomina ponto*, Pòéseos artificium est: quod singulis propè diebus vel videmus, vel audimus, veritas.

DECAS XV.

QUæst: 1. Quid vellet habere avarus? ℞. Omnia, præter honestum animum. Dictum est Taciti 13. Annalium de Poppæa Neronis meretricula. *Poppææ* inquit, *cuncta fuêre, præter honestum animum.*

Q. 2. Quod plerumque moritur, absque integra confessione? ℞. Aurum. *Argentum, & aurum os habent, & non loquentur.* Psalm: 113.

Q. 3. Quod genus hominum raræ pietatis,

tatis, & tamen frequentis pietatis occasio? ℞. Eorum, qui castra sequuntur. Illis enim advenientibus, rusticus orat: persistentibus, ferias celebrat: recedentibus, quia nihil residuum fecêre, jejunat.

Q. 4. Cui brevi incumbet sua divendere? ℞. Qui cuncta emit. Unde Martialis: *Omnia Castor emis, sic fiet, ut omnia vendas:* quia scilicet solvendo non eris.

Q. 5. Quem ante cœnam oportet lavare manus? ℞. Qui eas furtis infecit. Quare Sextius ad Appium furacem hominem aliquando dixit: *Manus lava, & cœnabis mecum.*

Q. 6. Qui fures minùs studiosè agunt? ℞. Qui illic noctu aliquid sublegere volunt, ubi etiam de die nihil est reperire. Unde Joannes Lotichius Pòëta in Poematis:

Cùm sua decoctor subeuntē limina furem
Quærere speratas nocte videret opes:
Nocte quid in nostris circumspicis ædibus? inquit:
Hic ego nil media cernere luce queo.

Q. 7. Quod genus scalarum optimum? ℞. Quod ex grallis pauperum, per eleemosy-

mosynas constructum, ad cælum ducit.

Q. 8. Quid materiæ primæ perquam simile? ℞. Avarus. Quare Poëta in Aulum Avarum lusit:

Materiæ fertur res esse simillima primæ:
Hæc formas omnes appetit: Aulus opes.

Et Claudianus:

Non Tartessiacis illũ satiaret arenis (tis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna ruben-
Aurea Pactoli; totumq́; exhauserit Hermũ
Ardebit majore siti: nempe

Crescit Amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

Ovidius: *Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda;*
Quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ.

Avaris enim nihil satis est, ut eorum cupiditatem, jam non famem, non sitim, sed tartaream ingluviem rectè vocârit Comicus.

Q. 9. Quæ Aularum spongiæ? ℞. Præfecti, & quæstores; hi namque quas opes à subditis attraxerunt, volentibus Principibus reddere coguntur. Trajanus Imperator suos Præfectos, qui malè rem administrâssent, allocutus fertur:

Quid

Quid habes? unde habes? redde, quod habes. de hoc Alciatus:

Exprimit humentes, quas jam madefecerat antè
Spongiolas cupidi (justi) *Principis arcta manus!*

Q. 10. Quid felicem posset facere Avarum? ℟. Si Arithmeticæ speciē, quam divisionem vocant, perdiscere posset.

Nil numerare juvat; nil, addere semper acervo:
Multiplicare nihil: divide; tutus eris.

DECAS XVI.

QUæst. 1. Quid boni habet non invitatus ad convivium? ℟. Non laudavit, quem fortè noluit. Epictet: c. 32. Lactucas non habes; nummum habes, quô emere poteras, si voluisses.

Q. 2. Quid sæpè redit de sepulchro, & quidem portâ, quâ intravit? ℟. Cibus, vel potus ultra modum ingestus. *Placet cibus*, inquit Seneca de tranquillit. c. 1, *quem nec parent familiæ, nec spectent: non ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus; sed parabilis*

rabilis, faciluśq́, nihil habent accersiti, pretio, sive ubilibet non defuturus, nec patrimonio gravis, nec corpori, nec rediturus, quâ intraverat.

Q. 3. Quibus mortalibus curta admodum memoria est? ℞. Magnis potatoribus: vix dum enim calicem ab ore removerunt, & bibisse obliti, iterum bibunt. De his dixeris: *Longa oblivia potant.*

Q. 4. Quæ sanitas plerumque morbis obnoxia? ℞. Bibita. Hinc Pòëta:
Heu miser ebibitã toties Regumq́, Ducumq́,
Post sanitatem, sanitatem perdidi.
Et alius: *Una salus sanis, nullam potare salutem:*
Non est in pota, vera, salute, salus.

Q. 5. Ad cujus cœnam non facilè accedit sapiens? ℞. Ad ejus, qui nihil illi, pro hoc debere volet. *Athenodorus ait*, inquit Seneca de tranquillit. c. 6. *nè ad cœnam quidem se iturum, qui sibi nil pro hoc debiturus sit.*

Q. 6. Quis totum annum in vultu circumfert? ℞. Ebrietati deditus. Ità de Appio Pòëta;

In

In niveis Appi jam regnat bruma capillis,
Inq; oculis semper vinô flammantibus æstas.
Baccifer Autumnus pingit nasumq; genasq;,
Cumq; bibit, florum dulce illi ad tempora ver est:
Sic potans totum in vultu gerit Appius annũ

Q. 7 Quid dicit invitans ad convivium? ℞. Hodie mihi, cras tibi. Non vult te gratias agere, sed referre. *Et ibant filii ejus*, (Job.) *& faciebant convivium per domos; unusquisq; in die suo.* Job 1. non frustrà in conviviis adhibetur multitudo orbium; ejusmodi enim opera volunt ire in orbem, & circulum! hodie apud Sempronium, cras apud Capronymum, & sic deinceps!

Q. 8. Quæ raró decorè res suas finiunt? ℞. *Sol manè lætus prodiens,*
Mulier latinè garriens,
Vinoq; pastus pusio,
Res finiunt dispendio.

Q. 9. Quâ horâ diei comedendum? ℞. Cum Diogene: diviti, quâ horâ volet, pauperi, quâ poterit. *Nolle edere, cùm habeat, est desperatorum: non posse, ægrotorum: non edere, egenorum.* Nieremberg:

in dictaminibus Christianis.

Q. 10. Quis sapidissimus haustus? ℞. Qui à sitiente bibitur. Unde Cicero, de nescio quo Duce, qui sitim sedaturus ex obvia lacuna aquam hauriens, cùm dixisset: sibi ejusmodi sapidum potum totâ vitâ non obtigisse, subjunxit: *Nunquam sitiens biberat.*

DECAS XVII.

QUæst: 1. Quæ res cautè tractanda? ℞. Familiaritas. Familiaritatum quasdam, inquit Ichnaleta dissertatione 3. novi vasorum fictorum similes, quæ cùm citò franguntur, reparari ope ac morâ nequeunt ullâ; alias amicitias aureis poculis comparo, quæ tardè mota, diutissimè durant.

Q. 2. Quod est ægrorum quasi quarto modo proprium? ℞. Nihil diu pati. Seneca de tranquill. c. 2. qui & subdit: *Fastidio illis esse cœpit vita, & ipse mundus, & subit illud rabidarum deliciarum: quousq; eadem?*

Q. 3. Ex quibus intelligitur infirmi status? ℞. Ex insomniis; ex meri-

dianis

dianis turbationibus; ex inconſtanti arteria; & ex eo, quod lingva loquitur. Lingva enim dentis malè habentis loquitur cruciatum.

Q. 4. Quæ, cùm ſimillima ſint, peſſimè conveniunt? ℞. Conjunx uterque malus. Unde Martialis l. 8. ep. 35.

Cùm ſitis ſimiles, paresꝗ vita;
Uxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non benè convenire vobis.

Et Pöëta recentior de duobus ebrioſis Conjugibus: *Quam benè conveniunt, tam malè conveniunt.*

Q. 5. Quis ancillarum eſt quotidianus cibus? ℞. Vapulare. Ita Plautus in Mercurio: *Nihil opus nobis ancillâ, niſi quæ texat, quæ molat, lignum cædat, penſum faciat, ædes verrat, vapulet: quæꝗ habeat quotidianum familiæ coctum cibum.* id eſt, verbera.

Q. 6. Quis plerumque recipit plùs, quàm dederit? ℞. Qui primus alium verberat. Ita enim comparati naturâ ſumus, ut adversùs aggreſſorem pleriq; feramur.

Q. 7. Cujus illa vox: Infernus domus

mea est? ℞. Viri habentis uxorem litigiosam. *Commorari leoni & draconi*, inquit Ecclesiasticus c. 25. *placebit, quàm habitare cum muliere nequam.*

Q. 8. Quid periculosum injuriam passo? ℞. Petenti differre veniam, magis periculosum negare: maximè periculosum, velle ulcisci. Desperatio enim audaciam gignit; & qui in modico offendit, quasi semper hostis futurus, colligit iram, seq; roborat complicibus in ictum graviorem. Nieremb: in dictaminibus Prudentiæ.

Q. 9. Etiamne pro Tyrannis, & eorum vita orandum? ℞. Etiam, nè scilicet iis extinctis, ut plerumque fit, deteriores succedant. Sic Anus longos precabatur Dionysio annos, & causam rogata, respondit: timendi enim sunt successores nequiores. Expertæ sunt id ipsum ranæ, quæ truncum, Regem suum perosæ, ut est in fabula, Ciconiam, in malum suum, pro Principe accepêre.

Q. 10. In quos minùs consultum Satyras scribere? ℞. In eos, qui proscribere

bere scribentem possunt. Scripserat Satyram in Pollionem Augustus Cæsar: negavit se responsurum Pollio: non enim expedit, (inquit) in eum scribere, qui potest proscribere.

DECAS XVIII.

QUæst. 1. Quid est proximum casui? ℞. Homo oblitus fragilitatis suæ. *Ingenium Imperiorum*, inquit Romanus Sapiens Svasoriâ 2. *magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt*, Deinde ædificium, suâ basi productius: Unde Prov: 17. dicitur: *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam.* Tertium est Virgo, ludens cum Adolescentulo.

Q. 2. Quæ facilè recidunt in naturam suam? ℞. Arcus sibi relictus: lupa cicurata, cùm ad suos redierit: & mulier humilis, cùm dominatum acceperit. *Naturam furcâ expellas; tamen usq; redibit.*

Q. 3. In quo non licet bis peccare? ℞. In bello, & virginitate. *Nulla reparabiis arte, læsa pudicitia est, Deperit illa semel.*

Q. 4. Quæ pessima in unaquaque domo? ℞. Cum Pòëta:

Sunt tria damna domûs: imber, mala fœmina, fumus: Quartum est, cùm manè proles surgunt sinè pane.

Q. 5. Quid amor? ℞. Libertas incarcerata: pax permista bellis: voluptas dolenda: spes metu plena; mel felle permistum; serietas ludicra. De his Pòëta:

Libertas, carcer: pax, pugna: dolenda voluptas,
Spes, metus est, fel, mel, seria, ludus, Amor.

Theophrastus autem interrogatus, quid esset Amor? respondit: esse *effectum animæ otiosæ*. Apud Philippum Picinelli quidam Salamandræ adscripsit: *Hôc torqueor, quod huic deest.*

Q. 6. Quæ meritò privantur honore? ℞. Cum Pòëta:

Clericus ad bellum pronus, lasciva puella,
Martius in flore, meritò privantur honore.

Q. 7. A quibus meritò quisque liberari exoptat? ℞. A pretioso cibo, (id est à medicina) A forti haustu, (id est à submersione) A mala societate, (id est à carnifice) Florentini ve-

rè

rò in Ecclesia S. Liberatæ, dum Litaniæ majores canuntur, dicuntur adjungere: A mala muliere, libera nos Domine.

Q. 8. Lis, rixa, contentio, æmulatio, maledictio, ira, fraus, luxuria, impudicitia, cujus generis? ℞. Fœminini. Tibullus lib. 3. *Crudele genus, nec fidum fœmina nomen.* Et Emmanuel Alvarus: *Laus, fraus muliebria sunto.*

Q. 9. Quæ sunt egestatis causæ propinquiores? ℞. Alea, vina, Venus. De hoc Pòéta:

Dives eram dudū, fecerunt me tria nudū;
Alea, vina, Venus, tribus his sum factꝰ egenꝰ

Q. 10. Quæ homini plurimùm negotii facessere idonea? ℞. Navis, & Mulier. Plautus in Pænulo: *Negotii sibi, qui volet vim parare, Navem & Mulierem, hæc duo sibi comparato. Nam nullæ res magis duæ plùs negotii habent, si fortè occæperis exornare, neq; unquam satis hæ duæ res ornantur; neq; ulla eis, ornandi satietas est.*

DECAS XIX.

QUæst. 1. Quid illud, sinè quo nemo magnus? ℞. Invidia. Unde Sene-

ca in Hercule: *O Fortuna, viris invida fortibus.* Et Bidermannus in Bellisario habet, statim, ut hic Dux in hostem processit, illi se comitem junxisse invidiam. Quid si & odium? nam, ut Seneca in Thebaide: *Simul ista mundi Conditor posuit DEus, Odium, atq; Regnum.*

Q. 2. Quis miser dupliciter? ℞. Cui nunquam benè, nisi aliis malè sit. Tales sunt: invidus, vespillo, & Medicus. de Medico Pòëta:

Res misera Medicus est, cui nunquã bene est,
Nisi malè sit quàm plurimis.

Q. 3. Quid videntibus est facilè, aut difficile? ℞. Ipsum videre est facilè: prævidere difficile; providere difficiliùs, invidere frequentissimum.

Q. 4. Quid boni cæcus habet? ℞. Quòd hostium suorum fortunam cernere non possit. Cùm Julianus Imperator Mari Episcopo Chalcedonensi cæco dixisset: Nunquid non Galilæus tuus, quem colis, visum tibi restituere potest? Respondit Episcopus: ideò vel maximè gratias DEo meo habeo, quòd cæcus te crudelissimum Apostatam cernere

nere nequeam. Eidem impio Juliano, Chriſtianum quendam interroganti, ac dicenti: quid facit faber, JESUS à Nazareth? reſpondit interrogatus: impio Juliano ſarcophagum fabricat.

Q. 5. Quando fictus amicus te ad cænam invitabit? ℞. Cùm te aliò invitatum intellexerit.

Q. 6. Quarum rerum facilis eſt ſatietas? ℞. Piſcium, & Hoſpitis.

Poſt tres ſæpe dies, vileſcit piſcis, & hoſpes,
Ni ſale conditus, ſit vel ſpecialis amicus.

Sapientis monitum eſt: *Subtrahe pedem à domo proximi tui, nè quando ſatiatus oderit te.* Prov: 25.

Q. 7. Quæ porta apud Magnates plerumque aperta, quæ clauſa? ℞. Aperta, quâ intrant munera, & obſequia: clauſa, quâ deberent exire gratiæ & beneficia. Ità Mimus Anglus, videns in Regio palatio unam portam veram, & aliam fictam, ac pictam; intento in veram digito dixit: per hanc munera intrant: in fictam autem: per hanc beneficia exeunt.

Q. 8. Quì facilè contriſtari poſſit

Avarus, aut Invidus? ℟. Si quid ab eo petatur. Lysimachus aliquando ficto scorpione terruit Bythum familiarem suum: cui Bythus vis ut ego quoq; te terream? volo, inquit, Lysimachus. Tum Bythus: da mihi talentum.

Q. 9. Quid illud, quod difficulter domi retinueris? ℟. Id, quod multis, amicis, aut inimicis arridet.

Q. 10. Quibus minimè invidendum? ℟. Altiora se petentibus: utpote quibus casus in propinquo est. unde ille:

Stet, quicunq; volet
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.

Non invideamus altiùs stantibus. Quæ excelsa videntur, prærupta sunt. Seneca de tranquill. c. 10 Neq; hærentes in fastigio possunt, nisi cadendo, descendere.

DECAS XX.

QUæst. 1. Quæ res nunquam otiosæ? ℟. Juxta Senecam Svasoriâ 5. Magna Imperia. juxta alios: Inquies in horologio Avari: Lingva mulieris stultæ; & conscientia ejus, qui in Principem crimen admisit.

Q. 2. Quid faciunt hominum otioſorum dies? ℞. Inter memoriam præteritorum, & deſideria futurorum ut avis, cujus nullum veſtigium, tranſeunt.

Lux abit, umbra fugit, volat irrevocabilis hora;
Tranſit præcipiti ſic tua vita pede.

Q. 3. Quid agat à publicis officiis remotus? ℞. Agat bonum contubernalem, amicum fidelem, & temperantem convivam: dumq; amiſit officia Civis, exerceat officia Hominis. Sen: de tranquill: c. 3. an parùm utile putas exemplum bene quieſcentis?

Q. 4. Quid optaret piger? ℞. Ut otiari, & dormire eſſet idem, quod laborare, Sic M. Lepidus, cæteris laborantibus, in herba procumbens dixit: vellem, hoc eſſet laborare.

Q. 5. Quid frequentiſſimè cernitur à tergo? ℞. Occaſio. In continua enim fuga eſt. Unde Valerius Maximus ſcripſit: inæſtimabile eſſe momentum occaſionis; atque ideo cum primis obſervandum. Et Horatius: *Rapiamus amici occaſionem de die: dumq; virent genua;*

& decet: obducta solvatur fronte senectus.

Catonis verò versus sunt:

Rem tibi, quam nôris aptā dimittere noli,
Fronte capillata est, post hæc occasio calva.

Q. 6. Quæ non admodum grata suis Heris? ℞.

Stans Mola, surda Nola, sterilis Vola, stans Schola sola,
Quatuor hæc dominis non placuêre suis.

Q. 7. Quamdiu dormiendum? ℞. cum Pöeta:

Quinque horis noctu satis est dormisse studenti:
Sex mercatori: septem de stemmate nato.
Octo pigris demus: nequam, omnes dormiat horas.

De Rege verò Homerus:

Non decet integram noctem dormire Regentem
Imperiô populos, & agentem pectore curas.

Q. 8. Quis malus Paterfamilias? ℞. Qui interdiu facit, quod noctu facere posset: pejor, qui profestis facit, quod feriatis deberet: pessimus, qui serenô cælô facit sub tecto, quod posset operari in agro sub dio. Plin: l. 18. c. 6.

Q. 9. Quæ mora ſecura, & laudabilis? ℟. Quæ in eo, quod convenit deliberando, inſumitur. Adolphus Imperator Delphino anchoram implexuit piſcis illius agilitatem, moderantem? cum Lemmate: *feſtina lentè*. Swantibertus verò III. Dux Pomeraniæ Teſſeram habuit:

Auff Rath weil / zur That eyl.

Q. 10. Quid otium? ℟. Parentheſis vitæ. Nihil enim agere, eſt idem, ac non vivere. Neque enim vivere, ac diurnare ejuſdem rationis ſunt; neque omnis, qui diu fuit, diu vixit. Unde cuidam ſeptuagenario, qui potiſſimam vitam otioſus, ingloriuſq; tranſegit, Pöëta Epitaphium poſuit: Hic jacet ſeptuagenarius, qui ſeptem annos vixit.

DECAS XXI.

QUæſt: 1. Super quibus mundus conſiſtit? ℟. Super tribus: Super lege; ſuper cultu DEI, & ſuper beneficiorum retributione. Rabbi Simeon Juſtus.

Q. 2. Quid illud, quod Agricola quotidie, Rex admodum raro, DEUS nunquam videt? ℟. Sibi parem. Quis DEUS præter Dominum? aut *quis DEus*

præter

præter DEUM nostrum. Psalm: 17.

Q. 3. Quid labore, formâ, omniq; hominum industriâ solidius? ℟. Divina providentia, De hoc Ichnaleta dissertat: 12. Quatuor ibant, inquit, peregrini sinè omni nummo. Primo die Rusticus ligna secans, vendidit, atque suos socios aluit, moxq; portæ inscripsit: unius hominis labor quatuor egentes pavit. Secundo die Nobilis ob formam, à Nobili, ad prandium, cum sociis invitatus, portæ inscripsit: unius Juvenis forma, quatuor peregrinos annonâ instruxit. Tertio die Mercator, cùm navis cum mercimoniis appulisset, quanti universa constarent? respondit venditor: decem millibus. Tunc Mercator Civem accessit, & conductas merces undecim millibus proposuit; sic ille emit; sic alter solutus est, atq; ita portæ inscripsit: unius Mercatoris industriâ mille nummos, unâ die sibi, & sodalibus ex nihilo, confecit. Die quarto, cùm novus Rex eligeretur, magnæque essent factiones, Peregrinus quartus, Regis, sed exul filius in regnum assumptus est; qui proinde triumphali suo currui inscribi

fecit,

fecit: certior, ſolidiorq; baſis fiduciæ humanæ, quàm labor, Forma, Induſtriaque, eſt divina Providentia.

Q. 4. Quas Claves unus habet DEUS? ℞. Clavim partuum, & vitæ: Clavim cæli, & pluviæ: Clavim annonæ, & fertilitatis: & Clavim ſepulchrorum, nè quis abſque ejus nutu indè redire poſſit.

Q. 5. Quid eſt DEUS? ℞. Quod, quò diutiùs cogitaveris, minùs intelliges. Dictum eſt Solonis, qui à Siciliæ Rege Hierone rogatus, quid DEus eſſet? primùm unum, tum duos, tum tres ad conſiderandum popoſcit dies; ac demum reſpondit: quó magis Deum cogito, minùs intelligo. Auguſtinus l. 2. de ord. ait: *Deum meliùs ſciri neſciendo.*

Q. 6. Quid faciebat DEus, antequam crearet mundum? ℞. Apud Auguſtinum l. 11. Conf. c. 12. reſpondit quidam: *Alta ſcrutantibus gehennas parabat.* Sed Auguſtinus ſubdit: *Hæc non reſpondeo: libentiùs enim reſponderim: neſcio, quod neſcio, quàm illud, unde irridetur, qui alta interrogavit; & laudatur, qui falſa reſpondit.*

Q. 7.

Q. 7. Quis non impunè ponit in cælum os suum? ℞. Qui divinam præsumit carpere providentiam. Rusticus sub pyro recubans, cælum arguebat, quòd pyra non ut pepones magna effici voluisset. Cùm ecce ruit ab arbore pyrorum aliquod, nasumq; viri concussit, tum ille: O sapienter DEUS! si enim hoc pyrum peponis fuisset magnitudine, hodie nasum perdidissem.

Q. 8. Cui prosit non meminisse DEI? ℞. Pejerare solito.

Numinis immemorem te dicunt vivere: lingvæ
Rariùs optarem Numen inesse tuæ.

Q. 9. Quid est amare DEUM? ℞. Amare, quia creavit nos, observantia filialis est: quia redemit nos, obligatio servilis est: amare, quia cælô donabit, lucrum gloriosum est: amare, quia amat nos, gratitudo necessaria est: amare, quia bonus est, benevolentia justa est. Amare, quia est, qui est, subtilitas Amoris est, Nieremberg. in dictamin: Christianis.

Q. 10. Ubi DEUS? ℞. Intrà te, nisi nequam sis: A peccatoribus enim ille lon-

gè

gè eſt. Quanquam & in peccatoribus eſt, per vindictam, qui in juſtis eſt per gratiam.

DECAS XXII.

QUæſt: 1. Quæ inter Regem, atque Tyrannum differentia? ℟. Rex timet, nè ſuis mala eveniant: Tyrannus, nè ſibi. Ille amatur magis, iſte metuitur magis. Cùm ille jubet, rogat; iſte cùm rogat, jubet.

Q. 2. Quid bonus Princeps? ℟. Cùm Plutarcho: Eſt viva DEI imago, id eſt, imago Optimi, Potentiſſimi, Sapientiſſimi. Bonitas efficit, ut nulli non profit: ſapientia, nè deviet: potentia, ut exequatur. Ex adverſo Principis mali prototypon dæmon eſt; in id unum laborans, ut noceat omnibus. Ejus potentia, ſi virtus abſit, proruit in omne malum; ſi bonitas deſit, in tyrannidem; ſi prudentia, in ruinam, & interitum. Nieremberg: in dictamin: Regiis.

Q. 3 Quid Gubernatores provinciarum? ℟. Ambiguum DEI inſtrumentum, tam aptum ad infligendas pœnas, quàm cumulandas gratias. Sunt velut hydro-

hydrophylacia, ex quibus in subjectos derivantur aut præmia, aut supplicia.

Q. 4. Cui Regno Væ? R. Væ tibi terra, cujus Rex puer est; & cujus Principes manè comedunt. Eccl: 10. Ex adverso: Beata terra, cujus Rex Nobilis est, & cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam. *Ibidem.*

Q. 5. Quot rimis arcana Principum consilia emanare possunt? R. Sex. Enuntiatione ejus, qui sententiam rogavit; Confessione eorum, qui responderunt: Executorum loquacitate; Sagacium hominum conjecturis; Legatorum incuriâ, & temerariis judiciis hominum otiosorum, Ichnalcta dissert. 4.

Q. 6. Quæ Regem faciunt subditis augustum, & formidandum exteris? R. Impenetrabilis arcanorum fides, multa cum sapientibus colloquia; egregiorum ministrorum delectus, & post navatam operam, liberalis remuneratio. *Ibidem.*

Q. 7. Quæ non verentur Regem? R. Gallus Gallinaceus, jacens in sterquili-

quilinio, & pedibus occurrens cælo, nè ruat. Grus uni pedi insistens, nè si alterum terræ infigat, mundum loco excutiat. Vermis pulverem parcè edens, nè illum cibus deficiat. Vespertilio, noctu solummodo circumvolitans, nè si id die faciat, quisquam in illum inamoretur. Idem dissert: 7.

Q. 8. Quibus rebus Reges, ut ut potentes, destituti sunt? ℞. Labore, quo utiliter occuparentur: legibus, quibus eorum appetitus refrænetur: Amicis, qui vera doceant. Ex Socrate. Quantum ad primum, contrarium sensit Philippus II. Rex Hispaniarum, qui munus regium idem esse dixit, ac opus textoris; hic sedet quidem, sed toto laborans corpore, ore, manibus, & pedibus. Euseb: Nieremb. in Politicis.

Q. 9. Quibus abundant Reges? ℞. Qui de divitiis eorum comedunt. Ita Eccles. 5. dicitur: *Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas.* Abundant præterea Reges corvis, animalibus nempe rapacibus, & voracibus.

Q. 10. Quid pulcherrimum in Princi-

cipi-

cipibus? ℞. Si nihil in iis ſit, quod eis condonari debeat. Livius Druſus Romanus, cùm domum haberet ob feneſtrarum multitudinem, cunctis patentem, Fabro promittenti, ſe quinque talentorum mercede, huic incommodo occurſurum, reſpondit: decem dabo, ſi effeceris, ut, quæ ago, cunctis pateant. Vellejus Paterculus lib. ultim. Hiſtor. Romanæ.

DECAS XXIII.

QUæſt 1. Quæ peſſima in hoc mundo? ℞. Pecunia, quæ non erogatur: Uxor, cui vir ſuus exoſus eſt: Filius, parentibus contumax: Rex, qui ſimulat innocentiam: Amicus perfidiam meditans; & Civitas, quæ ſeditionem parat. Ichnaleta diſſert: 9.

Q. 2. Quid ſæpe intrà eundem diem, nunc multùm, nunc parùm, valet? ℞. Verbum ab adulatore prolatum: pecunia, ùt vocant devalvata; & Aulicus apud Principem gratioſus.

Q. 3. Quis timendus Principibus viris? ℞ Hiſtorici calamus, non minùs, quàm deformibus vetulis, pictoris penicillus.

Q. 4. Quid rarum in aulis Regum? ℞. Veritas. Unde Ludovicus XI. Galliarum Rex quandoque dicere auditus: omnia esse in sua Aula; veritatem autem nuper. Illam vixisse sub suo parente in palatio, sed mortuã esse sinè confessione.

Q. 5. Unde difficilis in cælum prospectus? ℞. Ex aulis. Annæus Seneca rogatus, cur Aulam deseruisset? non possum, inquit, ex Palatii tot fenestris liberè in cælum prospicere.

Q. 6. Quot sunt, in quibus persistit Salus Reipublicæ? ℞. Tria. Bona lex, bonus Rex, bonus grex. Aliter: Justa lex, Sapiens Rex, Obediens grex.

Q. 7. Qui Principes populis suspecti? ℞. Ad quos libelli Supplicum accedunt cum tremore: Supplices recedunt cum pallore. Octavius Augustus, cùm meticulosus quidam, libellum tremulâ manu porrigeret, dixisse fertur: non oportet Principi tradere libellos, quemadmodum elephantibus,& leonibus, pabulum. Et Titus Vespasianus: non oportet quenquam, à Principis conspectu tristem discedere,

Q. 8.

Q. 8. Quos satellites plerumque habent Reges, & Principes? ℞. Hinc suspiria Aulicorum, promoveri expetentium: inde lachrymas subditorum relevari volentium. Octavius Augustus quadam vice medius inter Horatium, ac Virgilium considens, cùm Horatius utpote ingenii melancholici sæpius suspiraret, Virgilius verò affectis oculis, identidem lachrymas extergeret, dixisse fertur: *Hic lacrymas inter sedet, & suspiria Cæsar!*

Q. 9. Quis feliciter, ac justè regnâsse existimandus? ℞. Qui si hodie sceptrum ponat, tutus viveret. De Nerva Coccejo Imperatore fertur, auditum esse dicentem: Nihil me fecisse scio, quominùs possim depositô imperiô privatus vivere tutò. Aliter: Ille justè regnâsse videri potest, ex cujus domo, si omnibus rebus daretur facultas redeundi ad proprietarium, nihil omninò avolaret.

Q. 10. Fiscus cui conferri possit? ℞. Est lien, quo crescente reliqui artus omnes tabescunt. Dictum est Ulpii Trajani Principis ob æquitatem laudatissimi. De hoc Alciatus in Emblem.

Splene

Splene aucto, reliqui tabescũt corporis artꝰ;
Fisco aucto, arguitur civica pauperies.

Idem Trajanus cuidam suorum præfecturam conferens, & ensem præbens dixisse fertur: Tibi istum, ad munimentum mei committo, si rectè agam: sin aliter, in me magis, quòd moderatorem omnium vel errare minùs fas sit.

DECAS XXIV.

QUæst: 1. Qui sunt præstantissimi Consiliarii? ℞. Mortui, id est, libri. Hi enim absque respectu verum dicunt. Sententia fuit Regis Alphonsi.

Q. 2. Quid Consiliarios facit? ℞. Timor. quid bonos Consiliarios facit? ℞. Timor. quid malos? ℞. Timor. Aristoteles.

Q. 3. Quæ consilia plerumque feliciter progrediuntur? ℞. Quæ alatæ testudini insident. Festina lentè, Octavii Augusti tessera fuit, quam Reusnerus ita versu expressit:

Nec nil, neç nimiùm, mediũ tenuêre beati:
Festina lentè: sat citò, si bene sat.

Q. 4. Qui Consiliarii suspecti? ℞.

Qui semper eadem, quæ Princeps, volunt. Echoni similes, prolatas voces repetenti. Nam, inquit Martianus, si Principes aliquid asserunt, annuunt & ipsi: si negant: negant & ipsi. Ajunt; ajo: negant; nego. Umbræ, quæ quiescente Domino, quiescunt; consurgente ac progrediente moventur, & procedunt. Unde Isocrates Regem suum monebat, ut eos vitaret, qui, quæcunque fecisset, laudare præsumeret.

Q. 5. Qui Consiliarii nihil moderabile svadent? ℞. Nox, Amor, & Vinum. Ita Ovidius:

Nox & Amor, Vinumq́ nihil moderabile
svadent:
Illa pudore caret, Liber, Amorq́ metu.

Q. 6. Quod Consilium trutinæ committendum? ℞. Quod voto tuo arriserit: quod mulier dederit: quod hirundines (animæ garrulæ) suggesserint. Consilium illud prudentius, quod securum: opportunum, quod expeditius: quod facile, acceptabilius: omnibus his præstat, quod hæc omnia includit. Nierembergius.

Q. 7.

Q. 7. Quæ conſpicilia ſunt potiſſimùm in uſu? ℞. Apud Germanos, quæ repræſentant præteritum; hæc enim gens plurimùm antiquis conſvetudinibus tribuit. Apud Gallos, quæ monſtrant præſens: celeriter enim judicant, & celeriter aggrediuntur, quod faciendum ſtatuêre. Apud Hiſpanos, quæ in futurum proſpiciunt; multa enim conſilia agunt de eventibus, qui ex rebus naſci ſolent, aut poſſunt. Iſocrates omnibus utendum ſvaſit; ſalutarem enim doctrinam quampiam expoſcenti; *Recordare*, inquit, *præteriti, age præſens, & cave futurum.*

Q. 8. Quis Conſiliariorum optimus? ℞. Cum Biante: Tempus. Philippus tamen ſecundus Hiſpaniarum Rex dicebat, ſe duobus Conſiliariis admodum felicibus uti: Nocte ſcilicet, & pulvillo. Solebat enim de nocte, pulvilio incumbens conſilia ſua excoquere.

Q. 9. Quæ à Conſiliariis in Curiam procedentibus domi relinquenda? ℞. Cum Imperatore Friderico II. Simulationem, & diſſimulationem. Illa enim

fingit, quæ vera non sunt: ista, quæ vera sunt, obtegit.

Q. 10. Quæ requisita ad Consilium? ℟. Ad dandum, opus est animositate: ad recipiendum, patientiâ: ad petendum, candore: quòd si passio subintraverit, cuncta pessum eant, necesse est. Porrò illis svadere arduum, quibus sensus proprius pro oculo est. Nieremberg: in dictamin. general.

DECAS XXV.

QUæst. 1. Quæ res nulli mortalium, omnino concredenda? ℟. Quam omnino tacitam voles. *Plerosq; contigit in perplexas incidisse quæstiones, quòd imprudenter, quibus non oportuit, secreta crediderint. Sive uni, sive pluribus dixeris, idem est. Facilè sermo ab uno ad alterum effluit; ab hoc ad omnes: ità fit, ut cùm omnes palàm ignorent, clam omnes sciant.* Card: Bona in manuductione. *Secretum est clavis cordis, frustrà quæreris pervenisse ad omnes, quod non poteras uni subticere. Quod volueris plures ignorare, illud dixeris omnino nulli.* Nieremberg: in dictam. prud.

Q. 2.

Q. 2. Quid illud, in quo promittendo liberales ſunt ſinguli; duri univerſi? ℞. Beneficium, quod à communitate petitur. Strada de Bello Belg: *Obſequentes ſinguli, contumaces univerſi.*

Q. 3. Quid, quod apud fœminas præcurrit, apud viros ſequitur? ℞. Anſer, ſeu garrulitas. Refert Daniel Meuſnerus in Emblemat: Münchsbergenſis Civitatis ſymbolum eſſe fœminam, quam præcurrit Anſer, virum verò Anſer ſubſequitur. *Lingva præcurrit mentem.*

Q. 4. De quibus Concionatorem non oportet loqui? ℞. Quorum ipſe obſervantiam nullam habet. Optimus ille Prædicator, qui verba facit, de quo Pöëta: *Ad populum qui verba facit, laudem inde meretur;*

Si verè liceat dicere; verba facit.

Q. 5. Quis Pythagorâ taciturnior habitus fuit? ℞. Ejus ſtatua: ille enim quandoque, hæc nunquam locuta fuit.

Q. 6. Quid non cadit ſub noſtrum arbitrium? ℞. Quid quiſque loquatur. Unde neque curandum, quis hominum

de nobis sermo sit. Ego, dicebat Titus Vespasianus, quoniam nihil facio contumeliâ dignum, mendacia nihil curo. Et Seneca ad Gallionem de Remediis fortuitorum: *quibusdam canibus sic innatum est, ut non pro veritate, sed pro consuetudine latrent. Famæ nostræ*, inquit S. Franciscus Salesius in Philothea p. 3. c. 7. *nos oportet esse Zelatores, non Idololatras.* Et S. Xaverius l. 1. ep. 5. *Parùm refert ab hominibus judicari, præsertim ab iis, qui priùs judicant, quàm intelligant.*

Q. 6. Quid faciendum silentium suum pertæso? ℟. Proferendum aliquid, quod silentio meliùs sit. Aut sile, dicebat Pythagoras, aut adfer silentio meliora.

Q. 8. Quis sæpius audit, quod non vult? ℟. Cum Pòëta:

O; qui non claudit, quod non vult sæpè audit
Non domus est pacis, ubi regnat lingva loquacis.

Q. 9. Quid illud, quod non promittit is, qui sapit? ℟. Quod statim dare potest.

Bis

Bis non spondebis, quod mox præstare valebis
Qui citò dat, bis dat, qui tardat munera, nil dat.

Q. 10. Quid illud, quod non facilè confitendum alteri? ℞. Quod nondum est certum tibi.

DECAS XXVI.

QUæst. 1. Quorum cogitationes divulgant aves cæli? ℞. Eorum, qui detrahunt Principi. *In cogitatione tua,* inquit Ecclesiastes c. 10. *Regi nè detrahas, & in secreto cubilis tui nè maledixeris diviti: quia & aves cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.* Si res potentem tangat, aut divitem, quod in aurem murmuraveris, credito divulgandum per orbem. Nieremb: in dictam. prudent.

Q. 2. Quis proficuè errat? ℞. Qui bene loquitur de omnibus? Lingva bona hoc fænore gaudet, ut de ipsa loquantur bene omnes. *Idem ibid.*

Q. 3. Quis consvevit non vera loqui? ℞. Qui non curat vera audire. Talia enim vehit rivus, qualia fons suggesserit.

Q. 4. Quid vox populi? ℞. Si passio deest, vox DEi est. Si passio adsit, vox diaboli est. Cæterùm vulgus plerumque instabile, pronum in affectus, judicii expers; invidum, suspiciosum, credulum, comprimi nescium, turbidum, ac quodlibet nimiùm augens. Favet fervidis, negligit publicum, verbis ferox, metu aut spe semper nimium. Ex Cicerone & Tacito.

Q. 5. In quo mulieres præ viris abundant? ℞. Sensibus, nam præter visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, pertinaciam, & garrulitatem pro sensu habent.

Q. 6. Quænam ex arboribus sapientiæ laudem obtinet? ℞. Corylus, quæ ad ventorum furias flectit sese, atque ita incolumis persistit, cùm interea flecti nescia sæpiùs ventis agitetur ingens pinus, & radicitus evelli soleat. Quare, cùm subinde mulier, acceptis à Marito verberibus, flens sub Corylo consedisset, quæsivit Corylus causam gemitûs; & intellecto, quod erat, fertur dixisse. Si scires flecti, & tacere, stante

ſtante tuo domeſtico Æolo, ut egò quidem facio, nec mala verba, nec verbera ferres.

Q. 7. Quæ ſunt loquelæ accidentia? ℟. Loqui malè, infirmitatis eſt: loqui vera, ingenuitatis: loqui opportunè, prudentiæ; loqui importunè, ſtultitiæ: non loqui, ubi loquendum eſt; puſillanimitatis. Nierembergius.

Q. 8. Quæ ſunt veſtigia, ex quibus fatuus deprehendi poſſit? ℟. Cum Ariſtotele. Facilè ac perperam judicare: præproperè mentem edicere: nolle uti præſentibus: & de rebus honeſtis, ac bonis malè opinari.

Q. 9. Qui ſe habebit bene congreſſus, vel convivium? ℟. Cum Matthæo Tympio: ſi in eo reperiatur totum Alphabetum. Sunt autem in Alphabeto literæ aliæ mutæ, aliæ vocales, aliæ ſemivocales. In Convivio, ut rectum ſit, oportet Virgines tacere, & eſſe mutas: Juvenes, ſemivocales, qui nonniſi interrogati, loquantur. At Viros rerum peritos, Vocales! *Loquere major natu.* Eccl: 32.

Q. 10. Quis lingvâ malè utitur? ℞. Stultus loquendo: & sapiens tacendo: Videturque tam sapiens peccare, si, ubi loquendum est, sileat, quàm si stultus, cui omnino silendum est, loquatur. S. Bernardus ad Religiosam volentem tantùm latere: *Si de fatuis Virginibus es, congregatio tibi necessaria est: si de prudentibus, tu congregationi.* nempe, ut alias instruas.

DECAS XXVII.

QUæst. 1. Quid est proprium Interesse? ℞. Proprium interesse, est à DEo abesse: diabolo verò adesse: nemini prodesse: plurimis obesse: officio suo deesse: subditis malè præesse: & legibus nolle subesse.

Q. 2. Quid est maximè inter homines arbitrarium? ℞. Ex Dictaminibus Generalibus P. Nierembergii decade 4. n. 38. Honor. ibi enim solet investigari, ubi & infamia occurrit. Ut eum prætendas, opus est prudentiâ: ut consequaris, felicitate: ut conserves, patientiâ: ut ambias, dolô, & astutiâ.

Q. 3. Quis pontium in mundo maximus? ℟. Ex Navigerio. Tria esse in Hispania mirabilia! Urbem cinctam ignibus: & est Madritum, quod muros ex silicibus habet. Aquam supra pontem, decurrentem; & est Aquæ ductus Segoviæ, qui ex una pontis parte, ad alteram arcuatim per pontem fertur. Tertium, est Fluvius Gvadiana, qui sub terram descendens, post emensum decem leucarum iter erumpit, atque ita terra imminens pontem quendam constituit, in quo decem millia pecorum pascere solent.

Q. 4. Quis cùm bonus sit, malus est? ℟. Qui suâ causâ bonus est. Publii Annii Taciti Imperatoris Tessera fuit: *Malus qui suâ causâ bonus.*

Q. 5. Quis arrogans, cùm regnare cœperit? ℟. Is, qui cùm subesset, nimiùm dejectus fuit. *Nequit alios gubernare, qui non novit alios sufferre. Neque unquam bene præest, qui suspicionibus sub est.* Nieremberg: in Dictamin: Regiis. Aliter Claudianus l. 1. de Eutropio:

Asperiq nihil est humili, cùm surgit in altũ,

Cuncta ferit: dum cuncta timet, desævit in omnes.
Ut se posse putent, nec belluâ tetrior ullâ,
Quàm servi rabies, in libera colla furentis.

Q. 6. Quis docet facere malè? ℞. Princeps, qui desinit facere bene. Nieremb: in dictam: Regiis. *Rex velit honesta, nemo non eadem velit.* Seneca, & Pöeta recentior: *Rex vitando vetat: & faciendo docet.* Claudianus verò: *Componitur Orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus humanos edicta valent, quàm vita Regentis.*

Q. 7. Qui sani ægrotant? ℞. Illi, qui aliena negotia curant. *Sua*, inquit in ep. Seneca, *satiùs est mala, quàm aliena tractare.* & alibi: *Ego ubicunq; sum, meus sum; rebus non me trado, sed commodo; nec consector temporis perdendi causas; & quocunq; constitutus loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in mente salutare verso.*

Q. 8. Quis ingratus Conviva? ℞. Erinaceus, qui cùm satis de cibo abligurivit, quantum potest, aculeis configit, & secum domum defert. Talis olim Cæcilia-

cilianus, qui cùm furta de cæna auferre vellet; à Martiale audiit: *Non te Cæciliane cras vocavi*: id est, non te invitavi ad cœnam, hodie ut tantum furareris, quantum tibi pro crastina cœna sufficeret.

Q. 9. Cui prodest magis lavare in littore, quàm in maris profundo? ℞. Prædestinationem suam cogitanti. Sufficit mihi, dicebat B. Ægidius, de prædestinatione quædam subtiliora interrogatus, sufficit, inquit, littus maris ad lavandum pedes, ac totum corpus, magisq; hoc volo, quàm abyssum illam intrare, in qua facilè mergi possim.

Q. 10. Quod genus hominum tibi dicet verum? ℞.

Si secretarum seriem vis noscere rerum;
Ebrius, insipiens, pueri dicent tibi verum.

DECAS XXVIII.

QUæst: 1. Quid illud, quod quisque facilè credit? ℞. Quod factum valde voluit. *Quod nimis miseri volunt, hoc facilè credunt.* ait Seneca in Hercule.

Q. 2. Cujus querelas ridere solemus? ℞. Nucis Arboris, quæ in publico sita,

apud Ovidium lamentatur se nunc saxis, nunc fustibus impeti, fructuq; spoliari. Cur enim in publico potiùs, quàm in concluso horto sedem delegit? Ita sanè frustrà queruntur, qui sese passim publicis turbis miscent, atque inde multa mala ab obvio quoque referunt. *Circumcidenda est cursitatio*, monet Seneca de tranquillit. c. 12. *qualis est magnæ parti hominum, domos, & theatra, & fora pererrantium*. Si videlicet neminem in te impingere velis.

Q. 3. Quod mare cæteris magis imperscrutabile? ℞. Mare pacificum. Seu Homo, qui omnes affectus sedatos habet.

Q. 4. Quandonam facilè decrescunt, quæ etiam videntur maxima? ℞. Si cum majoribus in comparationem venerint. *Miseria*, inquit Nieremberg: *quam in altero majorem vides, infortunii nomen amisit. Elephas utcunq; magnus, comparatus ad Caucasum exiguus; granum tritici utcunq; parvum comparatione ad atomum factâ, magnum est.*

Q. 5. Quem citò pœnitere solet? ℞. Qui citò judicaverit: qui deserta via publica,

blica, ignotum iter ingressus est; qui imperito medico utitur, & qui dum potuit, occasione uti noluit. Hinc illud Hannibalis: *Cùm potui, nolui, cùm volui non potui.*

Q. 6. Quid pejus, quam culpam admittere? ℞. Culpæ favere; admittere enim est fragilitatis; favere, malitiæ. Nieremberg.

Q. 7. Quæ habitatio cæteris melior? ℞. Quæ bonum vicinum habet. Quare Themistocles domum venditurus, per præconem populum admonuit, eam habere bonum vicinum, ideoque majori pretio exponi. Cæterùm bene habitant Europæi versi ad Aquilonem; Libyci ad Austrum: Asiatici ad Subsolanum: Itali ad Zephyrum. Porrò Civitas laudanda, quæ ad solem, & ventos bene versa, bonis aquis, & commoditate commerciorum utitur. Qualem Strabo l. 17. scribit esse Alexandriam, à Macedonibus extructam.

Q. 8. Quis nusquam habitat? ℞. qui habitat ubique, Ità Martialis ad Maximum:

Esqui-

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ:
Quisquis ubiq; habitat, Maxime, nusquam
habitat.

Q. 9. Quomodo quis facilè dives fieri possit? ℟. Si cupiditates, & plura volendi desideria tollat. Epicurus: *Huc cogitationes tuæ tendant*, inquit Seneca: *hoc cura, hoc opta, ut contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis.* Quid porrò inde? omnib9 ditissimis ditior eris.

Q. 10. Quis, licèt nihil admodùm habeat de peculio, inter divites censendus? ℟. Qui nihil cuiquam debet. Nieremb: Aliter Seneca l. de 4. Virtutib. *Qui sibi ipsi satis est, cum divitiis natus est.* Et Valerius Max: l, 4. c. 4. *Omnia habet, qui nihil concupiscit.*

DECAS XXIX.

QUæst: 1. Cui obveniunt proniùs mundi honores, & officia? ℟. Solventi. Ajunt nostri sæculi Principes in solario depingi fecisse diversa officiorum insignia, Desuper à dextris efformatus erat sol; à sinistris, venti; subscriptio: *Dabitur.* Quæstione inter Proceres motâ, quid

eâ

eâ re portenderetur? alius, inquit, hæc dignitatum officia, insigniaq; illi obventura existimem, cui Rex, ut sol benignè affulserit; alius verò illi fortunam ejusmodi obventuram auguror, inquit, cui Venti, & Favonii Regii suas gratias afflaverint. At tertius; Ægyptiaca hæc scribendi ratio est, inquit, & in hunc modum legenda: *Sol-Venti dabitur!*

Q. 2. Quandonam Cocus artem, & operam perdidit? ℞. Cùm Dominus nec fame laborans, nec comedendi appetitu instructus mensæ accubuit.

Q. 3. Quæ matres optimæ, quamvis pessimas genuere filias? ℞. 1. Veritas, nam odium parit: 2. Familiaritas, contemptum enim parit: 3. Prosperitas, quippe superbiam parit: 4. Securitas, nam pessimorum periculorum Mater est.

Q. 4. Avari, quandonam cœnant? ℞. Cùm Hospites discesserint.

Q. 5. Quid in mundo non facilè atteritur, neque destruitur? ℞. Veritas, & sinceritas, nam neque in usu sunt, neque facilè convenibiles.

Q. 6. In quo plurimi consentiunt, idemq;

idemq; sapiunt? ℟. In emendo, & vendendo. Vendentes enim omnes cogitant sua carò distrahere, ementes levi comparare. Unde apud Augustinum, Histrio die nundinarum proclamavit, edicturum sese, quid quisq; mente volveret: concurrente autem populo; dixit: aut ut carò vendatis, aut ut levi ematis.

Q. 7. Unde felicitas? ℟. Alia nasci solet; alia seminari, alia fieri. Nascitur, quæ sponte occurrit: seminatur, quæ resultat ex meritis: fit, quam prætensio extorquet. Hæc postrema, duplici formâ exprimitur: dolô, & industriâ. In prima, forma formatur ex luto; in altera funditur ex ære, atq; hinc magis diuturna est. Euseb. Nieremb.

Q. 8. Quæ sunt qualitates hominis? ℟. A virtute redditur bonus: ab operibus redditur magnus, & ab occasione redditur celebris. *Idem.*

Q. 9. Quæ sunt sufferentiæ proprietates? ℟. Sufferre hominem, mansvetudo est: sufferre fortunam, fortitudo: ferre dolorem, tolerantia: ferre se ipsum, aliqua virtus: ferre calumniam,

vir-

virtus plurima; ſufferre omnia, ad omnia ingens remedium. *Idem.*

Q. 10. Quæ, quibus ſunt proficua? ℟. Generoſos juvat prudentia: audaces, fortuna; arrogantes, patientia aliena: humiles, patientia propria: ſuperbos, vilitas ſua. *Idem.* Minerva ſubinde ad rivum conſidens, tibiamq; inflans, cùm buccas admodum ineptè tumentes conſpexiſſet, non modò fiſtulam abjecit, ſed & humilior evaſit, quæ alioquin de ſua forma præſumpſerat.

DECAS XXX.

QUæſt. 1. Quæ non debent occuli? ℟. Benevolentia Principis, erga ſubditum: ægri morbus, erga Medicum: & pauperis inopia, habentis divitem amicum. Ichnaleta diſſert. 1.

Q. 2. Quorum venire, & quorum redire timendum? ℟. Ab Herodis venire, & à Turcarum redire, libera nos Domine. Alluditur primò ad dictum Herodis Matth: 2. Reges ad Orientis prolatum: *Ite, & interrogate diligenter de puero; & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego*

ego veniens, adorem eum. Secundò alluditur ad Selimi Turcarum Imperatoris Symbolum: qui lunæ in quadratura secunda positæ adscripsit: *Redibo plenior.* Significans, se hostes suos, potentiori, ac antè, manu aggressurum.

Q. 3. Qui sunt, quibus placet, quod dereliquerunt? ℞. Dux prælio victus, qui dolet, non coluisse pacem: Maritus ductâ nequam uxore, quem pœnitet deseruisse cælibatum. Aulicus Principis gratiâ excussus, cui demum placet privata vita: & iter faciens mari, quod terrâ fieri poterat.

Q. 4. Quid meritò apud Physiognomos mirabile habetur? ℞. Cum Martiale:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas Zoilus, si bonus es.

Q. 5. Cui non tutò credimus? ℞. Illi, qui nimis multis credit. Unde Pòeta:

Qui cuivis quidvis credit, malè creditur illi:
Quò mihi credis plùs, hoc tibi credo minùs.

Q. 6. Quæ mala bona sunt; & quæ, cùm bona sunt, mala sunt? ℞. Somnia.

Si

Si enim malum ſomnio, bonum eſt, rem ſe ita non habere: ſi verò ſomnio bona, malum eſt, rem ita non eſſe.

Q. 7. Penes quas animantes eſt gubernatio mundi? ℟. Eſſe penes Ovem, Anſerem, atq; Apiculam. Nam ex Ove habemus membranam, ex Anſere pennas, & calamos; ex Apicula ceram. His autem tribus conſtant decreta Principum, quibus regitur Mundus.

Q. 8. Qui primi fuerunt in Orbe Cantores? ℟. Aviculæ! hæ enim antè hominem productæ. Unde ille dicebat: Primæ nos Muſicam docuere aves, œconomiam formicæ, politicam apes.

Q. 9. In quibus negotiis ſemper inveniuntur magnæ difficultates? ℟. Ubi in operantibus nimia debilitas eſt.

Q. 10. Unde dolor? ℟. Vel quia habemus, quod nolumus, vel quia, quod volumus, non habemus. Deeſt, quod cupimus; abundat, quod odimus. Aliter: dolemus, vel quia erramus amando, vel quia fallimur cognoſcendo. *Cùm ejulantem quempiam videris in luctu,* inquit Epictetus in Enchir: c. 22, *ſive peregre pro-*

profecto filio, sive rebus amissis; cave nè te visum illud moveat, ut existimes versari eum in malis ob externa; sed statim ipse tecum distingvito, sitq́ in promptu, ut dicas: istum affligit non casus ille (alium enim non affligit) *sed concepta de eo opinio.*

DECAS XXXI.

QUæst: I. Quæ fugienda Sapienti? ℟. Cum Seneca l. de moribus: Fugienda sunt omnibus modis, & abscindenda igni, ac ferro, totoq́; artificio separanda: langvor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à mente, à civitate seditio, à domo discordia, à cunctis rebus intemperantia.

Q. 2. Quid oportet cavere navigaturum? ℟. Nè velit leges præscribere ventis, aut mari. *Si ventis vela committeres, non quò voluntas peteret; sed quò flatus impelleret, promovereris*; ait Boetius l. 2. de Consol: prosâ primâ.

Q. 3. Quid multis pro Angelo Custode est? ℟. Calamitas. ita Æneas Gazæus. Et Plinius junior l. 5. ep. 26. *Nuper me cujusdam amici langvor admonuit, opti-*

optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit & quantulumcunque, ut relicturus, satis habet. Tunc Deos, tunc hominem esse se meminit. Invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit: at nè sermonibus quidem malignis, aut attendit, aut alitur.

Q. 4. Quid illud, sinè quo ægrè subsisteret mundus? ℟. Paupertas. Si paupertatem abstuleris, inquit Divus Chrysostomus super orationem Annæ, omnem vitæ conservationem sustuleris, vitamq; nostram corruperis. Nec nauta, nec gubernator, nec agricola, nec ædificator, nec textor, nec calceamentorum sutor, aut faber, nec ærarius, nec coriarius, pistorvè, nec alius quis horum erit artificum.

Q. 5. Quis rem, sibi necessariam petit à se auferri? ℟. Infirmus. Unde in vitis Patrum legitur, quòd Sanctus quidam liberationem à morbo poscenti dixerit: rem tibi necessariam cupis auferri; si enim aurum es, probaris; si ferrum, à ru-

à rubigine mundaris.

Q. 6. Quid est, quod timendum habent Majores? ℟. Illud, quod ab illis timent minores. Unde Seneca Magnates alloquitur:

Omne sub regno graviore regnum est.
Quidquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.

Et Eccles. c. 5. *Excelso excelsior est alius, & super hos quoq; eminentiores sunt alii, & insuper universæ terræ Rex imperat servienti.*

Q. 7. Quis sæpe dolet, sæpe suspirat? ℟. Is quem mundus beatum existimat. *Iste*, inquit Seneca ad Gallionem, *quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat. Multi illum comitantur: mel muscæ sequuntur: cadavera lupi, frumenta formicæ. prædam sequitur ista turba non hominem.*

Q. 8. Quibus infernus plenus est? ℟. Qui pœnitere voluerunt, sed voluerunt tantùm. Quis verò implet cælum? ℟. Cum Sfortia Pallavicino de arte perfectionis l. 1. c. 7. Infernus, scilicet perpensus, & ritè consideratus.

Q. 9

Q. 9. Quod malum in moribus argumentum? ℞. Semper sic actum esse. *Argumentum pessimi turba est*, inquit Seneca, de Vita beata, c. 10. Quæramus, quid optimè factum sit, non quid usitatissimum. *Quàm malum argumentũ: semper sic actum est.* Oliva tom. 3. Conc. 18.

Q. 10. Cur apud Veteres scribebatur Cajus per signum C. Caja per signum Ɔ.? ℞. Quia fœminæ omnia invertere solent. Balthasar Bonifacius l. 14. c. 1.

DECAS XXXII.

Quæst. 1. Cui pœna statuenda? ℞. Cui quater venia data est, Scilicet ait Aurelius Imperator se anno ætatis suæ trigesimo septimo reperisse in Cypro, Regis cujusdam epitaphium ejusmodi: Hæc mihi gubernandi ratio: quod obtinere potui virtute, non quæsivi habere fraude: quod pace, hoc nequaquam bello: quod prece, id nequaquam minis: quod corrigere in privato, nequaquam correxi in publico: quod admonitionibus, hoc nequaquam pœnis. Consolatus sum amicos, vitavi inimicos, non profusus in dan-

do, non avarus in accipiendo. Nemini pœnam ſtatui, cui priùs quater non ignoviſſem.

Q. 2. Quis hoſtis timendus? ℟. Is, quem cunctantem videris. Annibalis dictum fuit: *Plùs metuo Fabium cunctantem quàm Marcellum prœliantem* Plutarchus in Apophthegmatis.

Q. 3. Quis vultus virorum Principum? ℟. Qualis ridentis cæli. *Decet ſupremas excellentias, ut ſerenæ ſint, & ſerenô animô*, Cyrillus Alexandrinus Apologiâ ad Theodoſium Imperatorē. Ex adverſo de fæce hominum dici poteſt illud Senecianum: *Inferiora ſunt, quæ fulminant.*

Q. 4. Cui domeſtica intuta? ℟. Qui nimius eſt ad aliena. Auguſtus Imperator moriens reliquit quatuor libros: in primo ſignavit mandata de ſuo funere: in ſecundo, geſta ſua: in tertio, ſummam militum, redituum, impendiorum, & pecuniæ: in quarto, præcepta Tiberio data, inter quæ: nè multos manu mitteret: nè urbem varia plebe repleret: nè multos civitate dimitteret: nè uni gubernationem commit-

mitteret: & ut esset contentus fortunâ suâ, nè dum plura appetit, quæ conservari non possunt, perdat & propria. Dio: l. 56. Alexander apud Senecam Suasoria 1. Orbem, quem non novi quæro; quem vici, relinquo, non quærimus Orbem, sed amittimus.

Q. 5. Quid oporteat facere scripturum? ℞. illud, quod Aristoteles, fecisse legitur apud Cassiodorum l. de Dialectica; hic enim librum Perihermenias confecturus calamum dicitur intinxisse in mente.

Q. 6. Quid est, quod diligimus, & odit nos; odimus, & diligit nos? ℞. In vita B. Macarii legitur, puerum quendam, cùm Macarius cum Socio iter facit, occurrisse, ad Matrem suam dicentem: O Mater, est quem amo, & odit me. Est, quem odi, & diligit me. Dicebat autem Beatus: prior, Mundus, alter, DEUS est.

Q. 7. Quæ sunt, quæ rectè aspiciuntur, cùm abeunt, non sic cùm veniunt? ℞. Cum Aristotele: Voluptates. Rectè Pòeta: *Læta venire Venus, tristis abire solet.*

let. Multi in fine sunt decepti, qui primò bono spiritu videbantur inducti. Thomas Kemp: l. 3. c. 14.

Q. 8. Cujus rei penuriam sanctus amor habet? ℞. cum S. Hieronymo epist: ad Nepotianum: *Crebra munuscula, & sudoriola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & degustatos cibos, blandasque ac dulces literulas sanctus amor non habet.*

Q. 9. Quo fiet, ut non facilè aliis succenseamus? ℞. Si nos ipsos in eorum loco collocaverimus. *Philothea, in actionibus tuis esto æqua, & justa. Colloca te semper in proximi loco, & illum in tuo; itaq; de illo bene senties. Venditricem te fac, dum emis, & emptricem, dum vendis: ita fiet, ut justè & vendas, & emas.* S. Franciscus de Sales in Philothea p. 3. c. 36.

Q. 10. Quid omnibus accidit ante te, & quid accidet omnibus post te? R. Mors. *Eò ibis*, inquit Seneca epist. 78. *quò omnia eunt, ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te.*

DECAS XXXIII.

QUæst. 1. Quæ sunt pecuniæ consequentia? ℟. Qui eam surripit, fur est: qui retinet, avarus est: qui expetit, pauper est: qui amissam deplorat, miser: qui amittit, opinione suâ infelix est. Nieremb: in Stoicis.

Q. 2. Quid faciendum, rerum suarum jacturam passo? ℟. Cogitandum, non tam quid amiserit, quàm quid servaverit: perdidisti omnia? habes, unde gaudeas, si te ipsum servâsti.

Q. 3. Quod est multorum bonorum principium, etsi ipsum non videatur bonum? ℟. Calamitas: Ex superbia, dicebat ille, nata est iracundia; ex iracundia nata est rixa; ex rixa bellum: ex bello multiplex injustitia: ex injustitia, devastatio agrorum, ex devastatione agrorum, fames, ex fame pestilentia: ex pestilentia, timor Domini, & pœnitentia. Ex hac omnia bona.

Q. 4. Aliquidne in fortuna æquitatis est? ℟. Esse, nam *spem dat pauperibus, divitibusq́ metum.*

Q. 5. Quis pacis usus? ℟. Mites illam possident, patientes conservant: pacifici efficiunt: boni eâ fruuntur.

Q. 6. Quis errat per circuitum? ℟. Is, qui eligit apta media ad malum finem. Nieremb: Thomas Morus, cùm vidisset nobilem puellam mirè se comentem; nisi, inquit, DEUS pro hoc tuo tanto labore tibi infernum reddat, magnam profectò tibi faciet injuriam. Ex Stapletono in vita Thomæ Mori.

Q. 7. Cui bono sunt in urbibus Histriones? ℟. Ut dignosci possit, quanta in loco sint otiosa ingenia: nam negotiis præpeditorum non facilè quis Histrionem accedet. Alexander M. tamen aliter sapuit: hic enim Leucadiam oppugnaturus, priùs Histrionem eò submisit, ut ex confluente spectatorum numero intelligeret, quis populus in ea urbe esset.

Q. 8. Quis nescit timere? ℟. Plebs jejuna. Nam ut Aristoteles in Ethicis inquit: *nullâ ratione ducitur, nullâ æquitate mitigatur, nec ullâ prece flectitur populus esuriens.* Et de Augusto Tacitus l. 1. Annal.

Annal: *Ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim; munia Senatûs, Magistratuum, legumq; in se trahere, nullo adversante.* Quo in loco Author satis insinuat, populum, ut fame irritari, sic effrænem reddi annonæ abundantiâ.

Q. 9. Cui omnes facilè fidem habent? ℟. Illi, qui, cùm doctus, simulque improbus sit, asserit, aliud esse scire, & aliud facere. De hoc Pòëta:

Scire, ais, & facere, hæc duo sunt diversa: negabo?
At respondebit mox tua vita: probo.

Q. 10. Quis peccat duplici malitia? ℟. Is, qui peccare constituit. Malum enim est, malum velle, pejus autem, ut malum facias constituere.

DECAS XXXIV.

QUæst. 1. Quæ literæ Alphabeti discentibus difficillimæ? ℟. C. D. seu Cede. Ludovicus XI. Rex Galliæ aliquando Benniensi Abbati insinuaverat, Abbatiâ suâ cedere vellet. Significavit autem is Regi: se per 42. an-

nos, quibus Abbatem egisset, discere conatum, A. B. Gallicè Abbè, nunc se totidem annis indigere pro discendis difficillimis literis C, D. seu Cede.

Q. 2. Quod est inter Grammaticos vocabulum miserrimum? ℟. Juxta Plautum: *Habuisse.* Juxta Senecam: *Fuisse.* Philippus III. Rex Hispaniarum moriens auditus est dicere: *Nihil confert Regem fuisse, nisi ut in morte, fuisse doleat.* Et Pòëta:

Dupliciter miser es, qui felix antè fuisti.
Dupliciter felix, qui fuit antè miser.

Q. 3. Quod verbum in Grammatica magis est æquivocum? ℟. Vocabulum Statim. Vieira, non est, inquit, verbum magis æquivocum, nec magis dubiæ significationis adverbium, quàm statim, in expeditionum materia. Vix datur remissio, quæ non descendat cum uno, statim; & non est consilium, quod non ascendat cum duobus statim, & aliquando cum tribus. Sed ista statim quàm longa sunt, quàm morosa, & quanto durant tempore. Dantur statim de duobus, de quatuor, de decem annis, &

& aliquando de tota vita. Videtur unum ſtatim, alteri ſtatim additum, idem eſſe, quod unum non, additum, alteri non. Non, additum ſtatim frequenter ſignificat idem, ac nunquam, & quaſi ſemper idem, ac tardè.

Q. 4. Quinam Clerici maximè peccant adverſum leges Grammaticæ? ℞. Illi, qui beneficia in numero plurali conjungunt cum perſona ſingulari. Illis tamen videtur ignoſcendum, qui ſcribunt: *Nos DEI gratiâ.* quippe ejuſmodi pluribus perſonis æquivalent.

Q. 5. Quod verbum ſuſpectum apud Grammaticos? ℞. Deinde, vel cras faciam. Nam deinde eſt talis platea, quæ deducit ad portam, quæ dicitur nunquam. Ex Nierembergio.

Q. 6. Quale nomen Homo? ℞. Adjectivum, Nam ſinè ſubſtantia ſubſiſtere non poteſt.

Q. 7. Cui ſua ſupellex certiſſima, & tutiſſima? ℞. Malis Pòëtis. quis enim illis quidpiam ſuffurari velit? *Nil ſecurius eſt malo Pòëtâ.* inquit bonus Pòëta.

Q. 8. Quid intentatum reliquerunt

Pòétæ? ℟. Nihil. juxta illud Horatii de Arte: *Nihil intentatum liquêre Pòétæ.* & illud: *Pictoribus, atq; Poëtis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Q. 9. Unde dicta est Calamitas? ℟. Si interrogaveris Grammaticos, inquit Vieira, respondebunt à calamo: hæc calamitatis derivatio certior est in Politica, quàm in Grammatica, omnes enim ferè calamitates à calamo; Regum præsertim, & virorum Principum, nisi calamô benè utantur.

Q. 10. Quod verbum in Mundo maximè in usu? ℟. Verbum rapio. Conjugatur enim per omnes personas, modos, & tempora, jam à mundi principio, & adhuc nullus rapiendi finis. Unde Propheta: *à minore usq; ad majorem, omnes avaritiæ student.*

DECAS XXXV.

QUæst: 1. Quid est plus quàm præteritum? ℟. Libenter dedisse: hæc enim virtus dudum præteriit ex hominibus?

Q. 2. Unde dictæ sunt exequiæ? ℟. Cum

Cum Julio Solimanno. Congruit funeri, nomen Exequiarum; quia rusticos exæquat Regibus.

Q. 3. Quod Verbum maximè defectivum? ℞. Apud Avaros, Verbum Dare. nam & præsens, & præteritum, ac fortè etiam futurum illi hoc loco deest, quare Pòéta.

Evelio credo tibi, Verbum Dare defectivum est,
Tempore præsentì, præteritoq; caret,

Q. 4. Quandonam rectè latinè dicitur: Miseria nostra magnus est? ℞. Cùm Rex, vel Princeps populo, multarum miseriarum causa est. Sic Mimus Diphilus in theatro Romano, intento in Pompeium digito aliquando dixit: *Miseria nostra, Magnus est.*

Q. 5. Quod est verbum mendacio proximum? ℞. Medicorum Recipe. Unde in Ponticum lusit Pòéta:

Pollicitus nonnulla mihi, nil Pontice præstas
Ut Medicus, quamvis nil det, ait, Recipe!

Q. 6. Quid quilibet hominum mavult dicere, quàm facere? ℞. Cum Pòéta, Jus omnes malunt dicere, quàm facere!

cere! *Libenter alios habemus perfectos, & tamen proprios non emendamus defectus. Volumus quòd alii strictè corrigantur; & ipsi corrigi nolumus.* Thom:Kemp. lib. 1. c. 16.

Q. 7. Qui mortalium inter se facilè conveniunt? ℞. Illi, qui aliquid idem sciunt. At verò, qui facilè disconveniunt? ℞. Ii, qui itidem aliquid idem sciunt. *Qui* enim *velit ingenio cedere, nullus erit.*

Q. 8. Occasio bona quid est? ℞. Medietas felicitatis; adjunge diligentiam, & habebis felicitatem integram. At quæres quid est occasio mala? ℞. Est lubricum, in quo pauci sibi constitêre, nam ut Seneca ep. 116. *In sicco quoque parùm firmiter stamus, nisi à lubrico, quantùm possumus, recedamus.* Pompeius captos Piratas à mari centum milliaribus relegavit, nè occasione redeunte, ad rapinas reverterentur. Florus l. 3. *Non satis cecidisse piget hominem, qui adhuc manet in lubrico.* S. Bernardus Sermone 1. in Pasch.

Q. 9. Amorculis inutilibus quid faciendum? ℞. In primo flumine sunt mergendi,

gendi. De Trucis Cuſpinianus: in primo flumine mergendi erant. *Quis in primo obſtitit, repulitq́ amorem, tutus, ac victor fuit.* Seneca tragædiâ 4. Cùm ſeri cœpit linum, dicebat hirundo ad ſocias aves: impedite. Cùm creſceret, dicebat: evellite. Cùm matureſceret, dicebat: depopulemini. Neglexêre. Indè adverſùm illas laquei. Ex Æſopo. hinc Pòëta:

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas, invaluêre moras.

Q. 10. Quis nec ſibi, nec aliis bonus? ℟. Canis jacens in fæno, ad quem apud Æſopum bos: nec fæno veſceris, nec alium veſci ſinis. Egregium Avari Symbolum.

DECAS XXXVI.

QUæſt: 1. Quid eſt, quod neſcimus, & docemus omnes? ℟. Medicina. Theodectes apud Hermippum.

Q. 2. Quæ res temporibus noſtris admodum privilegiata? ℟. Podagra, neque enim, cùm plerumque lecto decumbat, cuiquam accedenti occurrit, nulli aſſurgit, nulli vices viſitandi rependit: non urgetur ad itinera ſubeunda, non

ad ſaltationes, & choreas, non ad importunos hauſtus, & conviviorum ſumptus.

Q. 3. Contra peſtilentiam, quod eſt præſervativum? ℞. Citò, procul, ſerò. Id eſt, ſi citò de loco, ubi malum incipit, diſcedas; ſi, quàm potes, remotiſſimè habites; ſi ſerò, unde abiiſti, redeas.

Q. 4. Quis eſt ſtatus Medicorum erga ægrotos? ℞. Apud pauperes, Medicus ſcit nihil: apud divites omnia: blandus apud liberales: apud avaros, ſeverus. Si ſæpe adſit, parit ſui nauſeam: ſi rarò, deſiderium: veniens eſt ut Angelus; præſens ut homo, diſcedens habetur ut diabolus.

Q. 5. Quæ ſe in morbis juvant mutuò; ℞. Medicus, & infirmus, Medicus enim curat valetudinem infirmi, & æger curat paupertatem Medici. Ità de hoc Pöëta ad Medicum:

Pharmaca das ægroto: æger tibi porrigit aurum;
Tu morbum curas illius: ille tuum.

Q. 6. Qui benigni Medici? ℞. Qui infirmos non ſinunt ægrotare diu. Aliter:

ter: quem veſpiliones laudant: de ejuſmodi Pòéta: (*bo,*

Non ſinit in longo miſeros putreſcere mor-
Abſolvitq́; brevi morte: benignus homo eſt.

Et iterum: *Qui tuus eſt patiens, ô terq́;*
quaterq́; beatum;
Ægrotare illum non patiêre diu.

Q. 7. Juriſtarum, Medicorumq́; quæ lex? ℞. Cum Pòéta. (*lex:*

Furtum non facies, Juriſtis ſcribitur hæc
Hæc: non occides; pertinet ad Medicum.

Q. 8. Quæ optima Medicina adverſùs ebrietatem? ℞. Cave. Daniel Meuſnerus in Emblematis tres ſtatuit crateres; ac in primo ſerpentem, in ſecundo leonem, in tertio lupum. Lemma:

Hauſtꝰ erit primꝰ, parcè, ſapientia, ſumptꝰ;
Ira ſecundus erit, tertius ebrietas.

Q. 9. Quæ res ſe malè habent? ℞. Vinum, inter manus Germanorum; nummi, inter manus Hebræorum: & ſapiens in medio ſtultorum.

Q. 10. Quæ magna adversùm morbos panacæa? ℞. Panacæa præſervativa, non naſci; morborum temperativa, dormire: omnium dolorum abolitiva, mori.

mori. Si moreris juvenis, moriuntur tecum vitia; si senex morbi, & dolores. Nieremberg: in Stoicis. Unde Idiota de Contempl: Mortis, c. 9. *Mors nihil aliud est, quàm carceris finis: & laboris consummatio; ad portum applicatio, peregrinationis adimpletio, oneris gravissimi depositio; de equo furioso descensio; de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio, & diruptio.*

DECAS XXXVII.

QUæst: 1. Quid homo homini eripere non potest? ℟. Mortem. Unde Seneca in Thebaide:

Ubiq; mors est, optime cavit DEUS.
Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem.

Q. 2. Quorsum nemo serò venit? ℟. Unde reverti non licet. Ita Seneca in Hercule: *Nemo ad id serò venit, unde nunquam, cùm semel venit, potuit reverti.* Tale utique quid mors est; de qua idem Pòéta:

Parce venturis, tibi mors paramur.

Sis licèt segnis; properamus ipsi:
Prima quæ vitam dedit hora, carpsit.

Q. 3. Quid homini ingenuo difficilius, quàm mori? ℞. Rogare. *Marcus Cato,* (inquit Seneca svasoria 6.) *maximum vivendi, moriendiq; exemplum, mori maluit, quàm rogare.* Aliter Julius Cæsar; qui monitus ab Auguribus, sibi ab hostium insidiis caveret, respondit: *Satiùs est semel mori, quàm semper timere, & cavere.*

Q. 4. Quæ mors optima? ℞. Ea, quæ sæpe vocata venit de quo Boetius l. de Consolat: Philosophiæ metro 1.

Mors hominum felix, quæ se nec dulcibꝰ an-
Inserit, & mœstis sæpè vocata venit. (*nis*

Q. 5. Quid faciunt stulti confecto ferè itinere? ℞. Augent viaticum. nonne meritò stultus appellatus ille, qui Lucæ 12. cùm sequenti nocte ei vita terminanda, dicebat: *Destruam horrea mea, & faciam majora. Monstro similis est avaritia senilis;* inquit S. Martinus Bracharensis, quid enim stultius, quod dici solet, quàm viâ deficiente, viaticum augere?

Q. 6. Quid inter negotia vitæ, & diem

em mortis intercedere oporteret ? ℞. Spatium, quo à negotiis quiescamus, & nos collecto animo, ad moriendum præparemus. Inter vitæ negotia, & diem mortis oportet spatium intercedere; dictum fuit Militis, manumissionem à Carolo V. petentis. Strada in Bello Belg.

Q. 7. Quot portas Mors habet; cùm scriptum sit Ps.9. qui exaltas me de portis mortis? ℞. Binas, alteram vitream, qua facilè ex fragili hac vita intratur ad æternitatem;alteram, adamantinam, qua nemo dum redivit. Vieira.

Q. 8. Quis distingvit inter mortuos? ℞ Sola Epitaphia. *Respice sepulchra*, ait Augustinus in Sententiis, *& vide, quis Dominus, quis servus, quis pauper, quis dives? discerne, si potes Regem à vincto, pulchrum à deformi. In paucis versibus est eorum memoria?* & Boëtius l.2. de Consolat. metro 7.

Ubi nunc fidelis ossa Fabricii jacent?
Quid Brutus aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis, pauculis
Inane nomen literis.

Q. 9. Quæ hominis bona, ex Arabum

bum ſententia? ℟. Bonus intellectus, copioſa pecunia, bona uxor, ſcire, tacere, & ſepulchrum. Nieremb: in Eroth. dec. 4.

Q. 10. Quid mortales omnes pares facit? ℟. Cinis. Dictum fuit Alphonſi Regis Aragoniæ. Horatius l. 4. ode 7. *Nos ubi decidimus, quò pius Æneas, quò Tullus dives, & Ancus, pulvis & umbra ſumus.*

DECAS XXXVIII.

QUæſt. 1. Quis quaſi mortuus? ℟. Filius centum annorum. De hoc Rabbi Bagbay ita philoſophatur, Filius quinque annorum ad Biblia, Filius decem annorum ad Miſchna; ſeu ad textum Thalmudicum; Filius 13. annorum, ad Præcepta: Filius 15. annorum, ad Thalmud intelligendum: Filius 18. annorum, ad nuptias: Filius 20. annorum, ad ſectandas divitias: Filius 30. annorum, ad robur: Filius 40. annorum ad prudentiam. Filius 50. annorum, ad conſilium: Filius 60. annorum, ad ſenectutem: Filius 70. annorum, ad canitiem: Filius 80. annorum, ad ſummum: Filius 90. annorum,

ad

ad foveam: Filius 100. annorum, quasi mortuus.

Q. 2. Quid est, quod ferè omnes exspectant, & nulli certum habemus? ℞. Crastinum. Unde Pòëta: *Nemo tam divos habuit faventes, crastinum, ut possit sibi polliceri.* Et Religiosus quidam apud Petrarcham l. 3. memorabil. pro sequenti die ad convivium invitatus; ego, inquit, à multis annis crastinum non habeo.

Q. 3. Quid illud, quod nullius, quantumvis potentis hominis respectum habet? ℞. Mors. *Non est respectus morti eorum*, inquit Psalmista ps. 72. & Horat. l. 1. ode 4. *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumq; turres.* Et cras eodem sunt Rosæ, & Spinæ loco.

Q. 4. Qui portâ, qua semel exierunt, non redeunt? ℞. Mortui, domô ad sepulchrum elati. Alioquin etiam de Lappis scribitur; per portam exire, per fenestras domum reverti.

Q. 5. Quandonam mortui resurgunt? ℞. Dum moritur Avarus, tunc enim pecuniæ, quæ velut mortuæ tenebantur

inter

inter claustra, in publicum prodeunt.
De Avaro Tonstono Poëta:

Dum moritur Tonstonus, opes de morte resurgunt,
In cumulo: in tumulo, quæ jacuêre diu.

Q. 6. Quæ sunt in hoc mundo irrequietissima in hominibus? ℟. Expectare, & non venire: servire, & non pervenire: decumbere in lecto, & non dormire: quartum autem, vir centum annorum, qui cùm velit, mori non potest. Ælius Adrianus Imp. in quadam epistola: *Misera sors, velle, nec posse mori.*

Q. 7. Quorum humeros timemus? ℟. Bajulorum, qui nostrum sepulchro funus inferent.

Q. 8. Quid non amamus absque lacrymis? ℟. Allium, vitæ humanæ symbolum. P. Niess in Alphabeto: *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Ps. 30. 11.

Q. 9. Quantùm vivi distamus à mortuis? ℟. Uno lapide, nempe sepulchrali. Periander dicebat: navigantes à morte distare tantùm assere bidigitali, eò quòd inter eos, & mare, ubi mors

mors certa, intercederet nisi ejusmodi asser.

Q. 10. Quid vita hominis? R. Nolo, & Volo. ita Pòéta:

Quod volo, non possum, possum, quod nolo, vicissim:
Tota hominis vita est nil nisi, Nolo, Volo.

Aliter: Vivere hominis, est idem, ac sæpe mori. Unde Pòéta: (*ver.*
Cor nisi cura nihil, caro nil, nisi triste cada-
Nasci ægrotare est: vivere, sæpe mori.

Aliter: vita hominis tanquam umbra in infantibus: tanquam nuncius percurrens in pueris: tanquam navis in adolescentibus: tanquam avis in juvenibus: tanquam sagitta in viris: tanquam flos tribuli in senibus: tanquam spuma maris in decrepitis: tanquam fumus in silicerniis: tanquam memoria hospitis unius diei, ejus, qui de utero transfertur ad tumulum.

DECAS XXXIX.

QUæst: 1. Quid sperare potest Pauper post mortem, quod non poterat sperare vivus? R. Ut domo, & veste tegatur,

gatur, de Paupere ſepulturã nacto Pòëta:

Nulla mihi vivo domus, at nunc certa, ſepulto eſt,
Vitaq́; paupertas; mors mihi divitiæ.
Vita mihi exilium, requies at certa ſepulchrum:
Nudus eram vivus, mortuus ecce tegor.

Q. 2. Quid eſt, pro quo in mundo vivitur? ℞. Pro Honore, Ore, & Re. Pro his autem vivitur Amore, More, Ore, & Re. Aliter: vivitur reſpectu, deſpectu, ſuſpectu.

Q. 3. Quem furem metuam? ℞. Mortem, cùm enim diripiat plurima reſtituit nihil. De quo Pòëta:

Reſtituunt furtum fures, vi rapta latrones;
Omnia mors aufert; reſtituitq́; nihil.

Quare etiam Mors quibuſdam ultimus Ablativus dicta eſt.

Q. 4. Quorum vita eſt ſcire, & neſciri? ℞. Exploratorum; Sapientum verò eſt ſcire, & ſciri. Unde ille:

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter.

Q. 5. Quid ad omnes pertinet, quod tamen nemo ſcit? ℞ Quis primus è nobis

bis hinc migraturus sit, id enim verò nemo scit. (*isto:*
Quando placet Christo, de mundo tollimur
Nemo potest scire, quis primus debet abire.

Q. 6. Ubi sunt plures Grandes, quàm in Hispania: & plures Pares, quàm in Gallia? R. Sub terra. Nam in inferno sunt plures grandes, in sepulchris autem sunt omnes pares.

Q. 7. Quid ægrotantibus Avaris, deesse solet; quantumcunque habeant peculii? R. Qui in vicem eorum, velit ire ad infernum.

Q. 8. Quis non satis vitat infernum? R. Qui tantùm vult vitare infernum. Sfortia Pallavic. l. 1. de arte perfect: c. 9.

Q. 9. Vita, quomodo instituenda? R. Qualiter is instituere proposuit, qui calculo, vel podagrâ sævâ laborans, pro valetudine Deo supplicat. Est responsum Ditterici Archiepiscopi Coloniensis Sigismundo Imperatori datum, *Tales sani esse perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi.* Plin: l. 5. ep. c. 16.

Q. 10. Quod est territorium animæ, quod ipsam imprimis incolere oporteat?

R.

℞. Nosse conditionem suam. Willegisus Elector Moguntinus Rotarii Filius, quò memor esset conditionis suæ, Rotam pro symbolo assumpsit cum Lemmate: Willegis; Willegis, deiner Ankunfft nicht vergieß. Sic & Agathocles ex figulo in Regnum assumptus, vasa terrea, inter aurea, in mensa collocari faciebat, ut ne conditionis unquam oblivisceretur. de quo Pöeta:

Fercula gemmatis cùm poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemq; simul;
Quærenti causã, respondit: Rex ego qui sum
Siciniæ, figulo sũ genitore satus. Auson: in epigr.

DECAS XXXX.

QUæst: 1. Qui hæredes in hoc mundo felices? ℞. Quorum Majores ardent in inferno, scilicet; propter injustè corrasas, & hæredibus relictas divitias. Abundant enim; cùm interea Majores eorum ardeant. Beatus Pater, dicebat ille, qui propter nos, & nostram salutem descendit ad inferos.

Q. 2. Sub qua conditione nascitur homo? ℞. Ut moriatur. Cui nasci contigit, mori restat, Seneca. Eo fine vitam

ingredimur, ut inde denuo egrediamur. Nieremb: in Stoicis.

Q. 3. Quis stylus, & cursus vitæ humanæ? ℟. Mala cernere, & pati. unde ille ajebat Crucem esse omnis generis, quam Imperatores in pomo Imperii, Reges in diadematis, Pontifices in tiaris, Episcopi in pastorali, Religiosi in rosario. Miles in gladio. Eremita super domiciliolo; Viri in uxoribus. Uxores in viris; pauperes in egestate, divites in suis divitiis habent.

Q. 4. Quis metuit imperitum Medicũ? ℟. Qui nondum vult mori. Unde Poëta:
Cùm sis æger (ait Medicus) non uteris ullo
Cur Medico? volo adhuc vivere: nolo mori.

Q. 5. Qui dies non ponuntur in ullo Calendario? ℟. Quibus quisque nostrûm de hoc mundo migraturus est. *Nescitis diem*, inquit Christus Dominus in Evangelio, *neq; horam.*

Q. 6. Quando Tyrannus putat se præstare beneficium? ℟. Cùm subditos vivere sinit. Huc spectat fabula Æsopi, in qua lupus cui grus de collo mortiferum ossiculum exemerat; cùm idcirco mercedem

cedem poſceret, reſpondit: non ſat tibi, quòd vivis? Et Alaricus Romanis, quòd omnia diripuiſſet ejus miles, conquerentibus dixit: nihilne illis reſiduum, quibus animas reliquimus.

Q. 7. Quorum error eſt intolerabilis? ℞. Eorum, qui cùm improbè vivant, ſeſe laudabiliter morituros exiſtimant. *O quàm miſerè falluntur*, dicebat B. Stanislaus Koſtka moriens: *qui cùm perditè vivunt, credunt ſe poſſe laudabiliter mori.* P. Nadaſi in pretioſis occupationibus morientium c. 2.

Q. 8. Quid illud, quod nulli novum eſt? ℞. Mori. *Morieris*, inquit Seneca ad Gallionem; *putabam te novi aliquid dicere. Ad hoc veni: hæc ago; huc me ſinguli dies adducunt.*

Q. 9. Quot milliarium iter de cœlo ad infernum? ℞. Luciferum interroga; is illud cum ſociis dimenſus eſt. Cæterùm Pòëta:

Arcta via in cælum: lata eſt, quæ ducit ad Orcum:
Illa nimis longa eſt; eſt nimis iſta brevis:

Q. 10. Quæ ſunt quæſtiones in Sacra

Scriptura, quæ difficilem responsionem habent? ℞. Sequentes: 1. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth: 16. 2. *Stulte hâc nocte repetent à te animam tuam quæ autem parasti, cujus erunt?* Lucæ 12 3. *Quis poterit cogitare adventum ejus? aut quis stabit ad videndum eum?* Malachiæ 3. 4. *Si justus quidem vix salvabitur, impius, & peccator? ubi parebunt?* 1. Pet. 4. 5 *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris.* Isaiæ 14. 6. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* Sap: 5. 7. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis in ardoribus sempiternis.* Isaiæ 33.

Ben Sira Rabbi Gnomæ, super quæstione: Quomodo se sapiens rectè habeat in agendis? Ex Cornelio à Lapide in proleg. ad Ecclesiast.

I. AMa, & honora Medicum, dum non indiges ejus. q. d. Cole, & precare DEum, qui est malorum omnium Archiater,

ter, antequam ejus auxilio tibi opus ſit.

2. Filium, non filium ſine, ut aquæ ſummo remiget, i. e. filium, qui ſe non gerit, ut filium, ſine periculis exponi: nam ſæpè remus emendat, quem fruſtrà paterna manus caſtigat.

3. Os, quod cecidit in ſorte tua, rode, q. d. Sorte, quæ tibi contigit, contèntus vive.

4. Aurum tundi debet, & puer verberari, i. e. uti aurum, ſi illud tundas, magis fulget, ſic puer ſi eum verberes, melior evadet.

5. Eſto bonus, (i. e. beneficus) & manum tuam à bono (benefaciendo) nè prohibeas.

6. Væ malo, & væ illis, qui adhærent ei. Aut: væ improbo, & væ vicino ejus.

7. Sparge panem tuum in ſuperficie aquarum, & in arida, & in fine dierum invenies eum, i. e. eſto liberalis in omnes.

8. Vidiſti aſinum nigrum? neque nigrum, neque album. In quem locum Scholiaſtes: doce lingvam tuam, ut dicat ſemper neſcio; ne quando in reſponſo capiaris.

9. Bene malo nè facias, & malum

non contінget tibi.

10. Manum tuam à beneficentia nè abſtrahas.

11. Sapientem nutu, ſtultum fuſte.

12. Qui honorat contemnentes ſe, ſemilis eſt aſino, qui inſervit ei, à quo cæditur.

13. Ignis ardens comburit multos acervos frugum. q. d. ex parvo initio maxima oriuntur mala; uti ex ſcintilla una, grande incendium: ex uno verbo, multæ cædes.

14. Senex in domo, bonum ſignum in domo. Senium enim eſt ſignum bonæ vitæ, atq; prudentiæ.

15. Merces ſi communes habueris cum aliquo, à bono centies fruſtrà repetes, à malo millies.

16. Menſam appara; contentio ſublata eſt. Sic hodie videmus, per ſympoſia, multas rixas, litesq; ſopiri.

17. Si neceſſe eſt, ut contrahas accipiendo, & dando, eſto ſors tua cum viro bono. q. d. negotia tibi nulla cum improbis ſunto.

18. Propinqua negotiatio comeditur à Do-

à Domino ſuo; longinqua comedit Dominum ſuum, q. d. qui in locis ſibi vicinis negotiantur, ditantur: qui in remotis, depauperantur.

19. Amicum veterem nè abnegato.

20. Sexaginta Conſiliarii ſi fuerint tibi, tamen conſilium animæ tuæ nè deſeras.

21. Tam liberalis ſit tibi manus, quaſi ſemper ſatur fueris: & non quaſi modò demum ſatur factus, antea verò eſuriens. i. e. eſto in dando liberalis, & benignus, non tetricus.

22. Animum tuum nè des triſtitiæ; multos enim occidit triſtitia.

23. Bellæ mulieris ſpecie multi perſumdati fuerunt; & robuſti omnes interfecti ſunt ab ea.

24. Secretum tuum revela uni è mille; licèt multi fuerint, qui pacem tuam quærant.

25. Abſconde oculos tuos à muliere gratioſa, nè capiaris reti ejus. væ ei, qui vadit poſt oculos ſuos.

26. Nè eſto ex iis, qui raram, aut denſam barbam habent. nam neſcis, quid ſit decretum, Homo rarâ barbâ, callidus eſt,

inquit Rabbi Aquila: densâ barbâ stultus.

27. Averte faciem tuam à sociis malis; nè habeto cum eis iter: cohibe pedem tuum ab eis, nè capiaris reti ipsorum.

28. Nihilominus misereat te vicinorum tuorum, licèt mali sint; & da illis de cibo tuo; quia eo tempore, quo ad judicium stabis, pro te testimonium dicent.

29. Nè te cruciet ærumna diei crastini; quia nescis, quid paritura sit dies.

30. Dies brevis, & opus multum. Simile habet Hippocrates: Vita brevis, ars longa, occasio præceps, judicium incertum, experientia periculosa. Et Rabbi Simon: Dies brevis, & opus multum; & operarii pigri; & merces copiosa, & paterfamilias urget.

Gnomæ aliquot
Aliorum Rabbinorum.

1. SUper tres res mundus consistit: super legem, super cultum (DEI) & super retributionem beneficiòrum. R. Simeon Justus.

2. Sit domus tua domus conciliabuli pro sapientibus; & esto pulverizans te in pulve-

pulvere pedum eorum, & bibe cum siti verba eorum. R. Jose.

3. Esto domus tua aperta, versùs plateam sintq; pauperes, filii domûs tuæ. *Idem*

4. Omni tempore, quo homo multiplicat colloquium cum muliere, accersit sibi malum, & impeditur à studio legis, tandemq; descendit in gehennam. *Idem.*

5. Si non ego mihi, quis mihi? & cùm ego mihimetipsi, quid ego? & si non modò, quando? R. Hillel.

6. Loquere parùm, & multùm, & excipe quemvis hominem placido vultu. *Id.*

7. Neq; dicas: cùm otiosus ero, discam: fortassis enim nunquam otiosus eris. *Idem*

8. Nullus nebulo timet peccatum: nec idiota est vir pius; nec qui erubescit, discit; neq; iracundus docet; neque qui crebriùs ultrò citróque aberrat, sapiens fit. *Idem.*

9. Tres, qui cibum capiunt in una mensa, & conferunt in ea verba legis, perinde est, acsi comedissent de mensa ipsius DEI. R. Jochanam.

10. Velox esto erga caput, tardus verò erga adolescentem, & excipe quemvis

hominem cum gaudio. R. Hanina.

11. Ubi non eſt farina, non eſt lex, ubi non eſt lex, ibi non eſt farina. R. Heliezer. i. e. ubi non eſt cibus, ibi non eſt obſervatio legis: & ubi lex contemnitur, ibi cibus non conceditur.

12. Mundus iſte ſimilis eſt veſtibulo: ante ſæculum venturum præpara teipſum in veſtibulo, ut intrare poſſis in triclinium. R. Jacob.

QUÆSTIONES,

Quas Rex Ptolomæus Septuaginta duobus Sacræ Scripturæ Interpretibus, ſub tempus Convivii propoſuit; & eorum Interpretum Reſponſa. Ex Ariſtea Regis Ptolomæi Miniſtro.

QUæſt. I. Quonam modo Regnum incolume uſque in finem Rex conſervet? ℞. Hoc maximè modo regnum optimè diſpones, ſi DEi manſuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia, & longanimitate uteris, dignosque extolles, elatos autem affabilitate, ex malo in pœni-

pœnitudine traduces.

Q. 2. Quemadmodum juſtè ſingula Rex perficere poſſit? ℞. Si in rebus omnibus ſeipſum obſervet, omnia eum rectè acturum, & ſi conſideret omnem ſenſum à DEo eſſe, proponatq; ſibi ante omnia, timorem DEi; nulla in re aberrabit.

Q. 3. Quomodo Rex amicos ſui ſimiles habere poſſit? ℞. Si amici tui intelligent te multa meditari in ſubjectorum populorum commodum; & tu id facias, conſiderans, quemadmodum & DEUS genus humanum bonis afficiat; valetudinem illis, & alimenta atq; alia cuncta opportunis temporibus præbens.

Q. 4. Quonammodo in negotiis, ac judiciis peragendis, delictisque puniendis Rex bonam famam aſſequatur? ℞. Si omnibus te æquum ratione præbueris, & nihil ſuperbè, nihilq; pro potentiæ tuæ viribus contra delinquentes ages. Id autem aſſequeris, ſi DEI diſpoſitionem inſpicias, qui dignis ſua vota perficit, peccantibus verò vel per inſomnia, vel opere demonſtrat, quid illis

illis nocuum sit: neque secundùm illorum peccata, neq; pro magnitudine virium suarum homines cædit, sed mansvetudine usus corrigit.

Q. 5. Quid agat Rex, ut in rebus bellicis invictus existat? R. Si non armis, si non potentiæ suæ fidat, sed DEum semper imploret, ut justè agenti sibi consilia dirigat.

Q. 6. Quomodo Rex inimicis suis formidolosus evadere possit? R. Si armis, & exercitu, multoque ad bellum apparatu instructus fuerit. Ea tamen omnia diutiùs, ceu vana, priusquam his utatur, detineat. Nam DEUS ipse, antequam Majestatis suæ trepidationē incutiat, inducias quasdam præbet; exin omni apparatu mentem deterret.

Q. 7. Quid optimum in vita Regi? R. Si cognoscat, quoniam DEUS mortalibus dominatur: atque ut ad optimas quasque operationes, non per nos ipsos consilia dirigamus. DEUS enim, qui cunctis dominatur, omnium opera perficit, & deducit.

Q. 8. Quomodo omnia rectè servans, &

& illæſa, eundem filiis ſtatum Rex tradat? ℟. Si DEum aſſiduè imploraveris, ut rectos tibi ſenſus, ad ea, quæ imposterum peragenda ſunt, tribuat: & filiis imperaveris, nè gloriâ, divitiisq; ſuperbiant; ſed arbitrentur DEum benignitate ſua cuncta elargiri; neque per ſeſe alicujus rei ſubſtantiam poſſidere.

Q. 9. Quid agat Rex, ut bonam, & malam famam æquo animo ferat? ℟. Si tibi propoſueris, cunctos mortales ſic à DEo creatos, ut maximis malis jactati, bonis rurſum afficiantur: neque quisqnam omnium ſit, qui hujusmodi alternationem effugere valeat. Eſt autem DEUS implorandus, qui tranquillitatem tribuat.

Q. 10. Quis fortitudinis finis? ℟. Si, quando periculoſa imminent in rebus aggrediendis rectè quis conſulerit, & propoſitum aſſequetur. Ideoque Tibi ô Rex, rectè, utiliterque conſulenti DEUS cuncta perficiet.

Q. 11. Quibusnam modis Rex divitias conſervet? ℟. Si nihil indignum regno tuo, neque flagitiosè ages, neque

in vanis rebus, & incommodis, sumptus facies: & erga populum tuum te beneficum, benignumq; præbueris. Etenim DEUS bonorum omnium, quem sequi oportet, elargitor est.

Q. 12. Quomodo Rex veritatem colat? ℞. Si cognoveris, quàm magnum dedecus mendacia mortalibus omnibus afferant, & multò majorem notam Regibus inurant. Nam, quando eâ potentiâ sunt, ut, quæ volunt, facilè perficiant, cujus rei gratiâ mentientur? oportet etiam te considerare, Rex, ut DEUS veritatis amator existat.

Q. 13. Quæ est disciplina Sapientiæ? ℞. Quemadmodum te ô Rex malis expertem optas, & omnibus bonis abundare, si hoc ipsum in subjectos tibi populos; & delinquentes serves. Si optimates, præstantesq; viros humaniùs commoneas. Etenim DEUS mansvetudine cunctos fovet.

Q. 14. Quonammodo Rex clemens, benignusq; sit? ℞. Si consideres, quam longo tempore, quantisque, & quàm magnis calamitatibus oriatur genus hominum,

num, alatur, nutriaturque, unde neque in eos temerè animadvertendum, nec accuſandi ſunt. Si revolvens inſuper, ut omnis hominum vita doloribus ſemper, & ſuppliciis exagitetur, ſingula intelliges, in miſericordiam profectò verteris. Nam & DEUS miſericors eſt.

Q. 15. In regno quid potiſſimùm obſervandum? ℞. Conſervare ſe à muneribus incorruptum; atque magnam vitæ partem invigilare, juſtitiamq; ante omnia colere, & hujuſmodi amicos ſibi comparare. Juſtos enim, & DEUS amat.

Q. 16. Quid pietatis robur? ℞. Cognoſcere, quia DEUS omnia ſemper operatur, & videt, neque eum lateat quiſquam injuſta faciens, neque perperam agens. Ut enim univerſum orbem DEUS bono afficit, ita & tu, ſi eum imitaberis, nuſquam aberrabis.

Q. 17. Quis ſit regnandi modus? ℞. Rectè ſeipſum regere, neque copiâ, neque gloriâ elatus ſuperbum indecenſve concupieris, ſi rectè ratiocinatus fueris. Sic cuncta tibi aderunt, quaſi nihil ſint. DEUS manſvetus eſt, & nullius egens, quod

quod tu pro humanis viribus conſideras; neque multa ad regnum appetas.

Q. 18. Quemadmodum quis optima eligat? ℟. Si juſta tibi ſemper propoſueris, arbitreriſq; iniquam vitæ privationem. DEUS namque juſtis elegantiſſima ſemper bona præparat.

Q. 19. Rex in ſomnis quomodo ſit quietus? ℟. In iis, quæ mentem per inſomnia agitant, haudquaquam obſiſtere poſſumus. Sed ſenſu quodammodo irrationabiliter ducimur ex hujuſmodi rebus, quæ accidere ſolent, & vidimus. Videmur enim quandoque pelago ferri, navibus trajicere, nunc negotiari, nunc pennis ſublati volare, loca mutare, & cætera hujuſmodi, quæ minimè fiant. Similiter & quæ maximè expetimus, ea mentem in ſomnis turbare ſolent. Quare Rex omni negotio, quidquid dixeris, quidquid feceris, ad pietatem intendendum cenſeo, ut te ipſum ſervans, virtute circumvallaveris, neque voluptate pellectus, neque potentia fiſus, inviolabiliter, quod juſtum eſt tollas. Etenim in quibus quiſque plurimùm verſatur vigi-

lans

lans & per quietem earundem rerum cura hominem recursat. Sed quando omnes rationes, & operationes tuas ad pulcherrima quæq; instituis, & vigilans, & dormiens, ob eam causam optima in te semper est tranquillitas.

Q. 20. Quemadmodum nihil indignum agamus? ℟. Si quid te deceat, quidve possis, omni in re prospexeris; nè tua dignitate, quidquam indecorum, dicendo, agendo tibi excidat; intelligens omnes, quibus imperas de te semper & cogitare, & loqui: neque enim minimùm adulatoribus pates, qui ex vultûs varietate mente conjectant: ex cujus consideratione indecenter cuncta peragunt. Tu verò nulla hypocrisi deturpatus à parte imperas; præstante tibi DEO multam cum dignitate morum elegantiam.

Q. 21. Quid sit in regno difficillimum? ℟. Sibi ipsi dominari, neque appetitibus efferri. Inest enim natura mortalibus, ut mente ad aliquid semper declinet. Et plerique ad mensas, pocula, voluptatesque trahuntur, in quibus multitudo maximè effunditur. At Reges subigen-

bigendorum poculorum cura ſolicitat, ob gloriæ magnitudinem. Sed pulchrum eſt, ſe in omni re metiri & quæ DEUS dederit, ſtudio continere. Inconceſſa verò, atq; inexpectabilia nec concupiſcas.

Q. 22. Quonam modo Rex nemini invideat? ℟. Si animadvertas primùm, Deum Regibus omnibus impertiri gloriam, divitias, & magnitudinem. Nam etſi hujuſmodi gloriæ participem ſe quiſque cupiat, haud tamen poteſt. DEI enim donum eſt.

Q. 23. Quid agat Rex, ut inimicos ſpernat? ℟. Si placidus erga omnes homines benignitatem exercueris, nullius amicitiæ ratione habita. Gratum verò ſe omnibus præbere, id pulchro DEI munere, quod optimum eſt, conceditur.

Q. 24. Quemadmodum Rex glorioſus perduret? ℟. Si benignitate, & gratia excellens erga alios magnificus extiteris, gloria te nunquam deſeret. Quæ, ut tibi adſit, DEUS ſemper implorandus eſt.

Q. 25. Erga quos habendus ſit honor? ℟. His potiſſimùm omnes tribuendum putant, quos amicè diligamus.

Ego

Ego verò opinor, erga æmulos habendam esse honoris munificentiam, quam maximè gratam, quô illos, hoc præsertim modô, ad ea, quæ honesta sibi sunt, & utilia, inducamus: oportet autem DEUM, qui mentibus dominatur, precari, ut hæc perficiat.

Q. 25. Quibus gratificandum sit? ℞. Parentibus ante omnes. Etenim DEus in honorandis parentibus præceptum maximum posuit, censens amicos secundo loco habendos, quos animo pares nominavit. Tu verò rectè facis, qui cunctos homines ad te amandum allicis.

Q. 27. Quid sit pulchritudine dignius? ℞. Pietas. Nam & ipsa, pulchritudo quædam est præcellens, ejus autem potentia charitas: quæ quidem DEI munus est, quam & tu possides, cuncta in ipsa bona complectens.

Q. 28. Quemadmodum amissa gloria instauretur? ℞. Quandoquidem clemens omnibus gratusq; existis, quæ res benevolentiam comparat, fieri non potest, ut excidas. Et magni præterea armorum apparatus maximam securitatem

præstant. Si qui verò cadunt, ab iis abstineant, oportet, quorum gratiâ exciderunt. Amicitiarumque inde cultores justa agant; DEI namque donum, bonorum operatio.

Q. 29. Quomodo Rex vivat sinè tristitia? ℞. Si neminem læseris, omnesq; juves justitiâ prosequens. Ab ea hujusmodi fructus, jucunditas scilicet colligitur. Sed implorandus est DEus, nè ea nos lædant, quæ præter opinionem nostram accidunt; ut sunt mortes, morbi, ægritudines, & cætera hujusmodi. Te autem, quando pius es, horum nihil insequetur.

Q. 30. Quid sit in gloria potissimùm? ℞. DEum venerari, non sacris, neque muneribus, verùm animi puritate, ac fide candida ejus voluntatem sequi. Quod quidem & tu perficis, id firmum animo gerens, ut & quidquid feceris, & quæ facturus sis, omnibus pateant.

Q. 31. An prudentia doceri possit? ℞. Animi decus quoddam est à divina potentia fluens, ad suscipienda bona, renuendaq; contraria.

Q. 32.

Q. 32. Quid valetudini potiſſimùm conferat? ℞. Prudentia, quæ contingit nemini, niſi DEUS mentem ad eam præparaverit.

Q. 33. Quibusnam modis Genitoribus dignas gratias homo referat? ℞. Si nulla in re eos triſtitia afficiat. Sed hoc potuit nemo, niſi DEUS, cognitionis Dux, mentem ad pulcherrima quæque diſponat.

Q. 34. Quomodo quis fiat audiendi cupidus? ℞. Si exiſtimaverit ſingularum rerum cognitionem ſibi utilem fore, ut aliquid ex iis, quæ audierit, ad præſens tempus comparans, ea eligat, quæ convenientiora videbuntur. Sed implorandum, ut divinum adſit Numen. Ab eo namque operationum omnium perfectio eſt.

Q. 35. Quid faciat Rex, ut nihil contra leges agat? ℞. Si cognoveris, quoniam DEUS legislatorum mentes, intellectusq; dederit ad hominum vitam benè regendam, leges ſequeris.

Q. 36. Quod ſit cognationis commodum? ℞. Si accidentia reputare volumus,

lumus, in adversis eorum rebus, & nos una graviter afficimur, & premimur pro cognatorum mœstitiæ magnitudine, Fortunantibus autem illis inde & decor, extollimur. Si verò negotium benignè inter se susceperint, & cuncta indissolubili glutino se habent, nihilq; ad secundas illorum res desideratur. Verùm ordinandum est, ut cuncta secundent.

Q. 37. Quemadmodum Rex intrepidus existat? R. Si mens nullius sibi conscia mali, DEum sequatur, qui consilia omnia in bonum dirigit.

Q. 38. Quomodo recta ratio Regi in promptu esse possit? R. Si hominum infortunia semper consideraveris, revolvens, quales rerum vicissitudines DEUS asserat, aliosq; gloriâ sublatos honoribus provehat, alios calamitatibus opertos ignominiâ dejiciat.

Q. 39. Quibusmam modis, neque socordiâ, neque voluptatibus Rex distrahatur? R. Hoc tibi in promptu est, cùm & magno regno imperes; & varia negotiorum multitudine detinearis, ut non ad aliud quidpiam traducendi mentem

quies

quies detur. Horum igitur cura verſeris oportet; Deumque roga, nè quod te decet, prætermittas.

Q. 40. Quemadmodum Rex agnoſcat; qui in eum dolo agant? ℞. Si obſervaveris, qua quiſque in te libertate utatur; an ſemper eoſdem mores habuerit in ſalutando, conſultandoque, ac reliqua vitæ conſervatione, nec quidquam eorum, quæ amicitia poſtulat, prætermiſerit in affectibus, & aliis vitæ rationibus. DEUS verò tibi Rex ad optima quæque intellectum inſtruet.

Q. 41 Quæ ſit maxima negligentia? ℞. Si quis filiorum negligens fuerit, eoſque nulla in re erudiat. Deo enim vota ſemper, non pro nobis tantùm concipimus, quantùm precamur, ut & liberis noſtris bona cuncta adſint; eruditionem, & prudentiam impertiatur. Namq id Dei virtute evenit.

Q. 42. Quomodo Rex Patriæ cultor exiſtat? ℞. Si tibi perſvaſeris domi vivere, & mori optimum eſſe. Peregrinationem verò egentibus ſtultitiam, divitibus dedecus afferre, ceu patriâ, ſuis

malis

malis ejecti sint. Igitur tu bonis, quemadmodum & facis, cunctos afficiens id assequeris; DEUS enim in omnibus gratiam præstabit.

Q. 43. Quatenus Rex se uxori accommodet? ℟. Quandoquidem fæminarum genus sui confidens est, asperum, & suorum affectuum sequax, atque in lapsū proclive propter imprudentiam, & ejus naturam imbecillem; verùm ad valetudinem, & commoda nostra utendæ; illis contrariâ sententiâ adversandum non est. Est enim dirigenda vita ad certum aliquem finem, debemusque veluti navium gubernatores, signum aliquod intendere: quæ profectò omnia, & cætera cuncta DEI institutione reguntur.

Q. 44. Quomodo Rex non decipiatur? ℟. Si singula, ratione prosecutus detractoribus invasus perstiteris. Sed tu ipse ut excellis, dicta quæque discernens, & facta, operationes tuas certo judicio directas perfeceris indeceptus Rex, ut dicis, eris. Hæc verò intelligere, atque in his versari est divinæ potentiæ operatio.

Q. 45. Quemadmodum Rex non ſit iracundus? R. Si conſideraveris, quoniam is, in quo omnium vita pendet, ſi quid per iram agat, mortem pluribus affert, quod quidem triſte & perniciosum eſt, multorum vitam regni causâ delere. Verùm, cùm omnes obſecundent, & pareant, nec quidem unus adverſetur, qua de cauſa iraſcendum eſt? Sed noſſe oportet, ut DEUS omni indignatione vacuus univerſum gubernet, quem te imitari neceſſe eſt.

Q. 46. Quid ſit bene conſulere? R. Rectè cuncta ex rationis diſcurſu agere ad propoſitum aliquem finem, rejicereq; inutilia, & rationi contraria, ut mente per ſingula diſcurſante, bene conſulendo propoſitum adipiſcamur. Sed omne conſilium eſt DEI virtute firmiſſimum, tibi præſertim, pietatem exercenti.

Q. 47. Quid ſit philoſophari? R. Bene, & commodè ratiocinari circa unumquodque eorum, quæ emergunt; neque appetitibus efferri; negligereque vana cuncta, & ſtulta, quæ ex cupiditatibus oriri ſolent, & ad peragenda, op-

portunâ mensurâ quadam deduci: quem statum, ut adipiscamur, DEum implorare oportet.

Q. 48. Quæ sit hospitalitatis remuneratio? R. Si omnibus æquus existens, quæ acceperis, etiam majori fænore cumulata reddideris, ita ut in hospitalitate excellere videaris. Nam & DEus plurimùm humiles erigit, & subjectos homines diligit.

Q. 49. Quæ sint diuturna opera? R. Si magna quis, & veneranda absolvat, adeò ut spectantes propter operum pulchritudinem, & excellentiam illis abstineant: neque quenquam prætermittat eorum, qui talia expoliunt, neque indonatos aliquos ad ea perficienda impellat, quæ usus poscit. Etenim DEUS cuncta cernens, genus hominum donis accumulat, præbens illis bonam valetudinem, & sensus, & alia hujusmodi. quare & Tu simile quid imitatus laborantibus, calamitosissimisque malorum vicissitudinem, quietemque tribue. Ea namque perpetua sunt, quæ ex justitia perficiuntur.

Q. 50.

Q. 50. Quis eſt ſapientiæ fructus? ℟. Non conſcium eſſe ſibi mali, & vitam in veritate transſigere; ex iis enim maximum gaudium, & animi voluptas gignitur præſtantiſſime Rex, & ſpes in DEO optimè tibi piè regnanti aderunt.

Q. 51. Quomodo quis in ſuperbiam non extollatur? ℟. Si æqualitatem ſervet, & ſingulis in rebus ſui ipſius meminerit, revolvens animo, ut homo hominibus præſit, utq; DEUS deleat ſuperbos; manſvetos, & humiles extollat.

Q. 52. Quibus conſultoribus utendum? ℟. His, qui multis in rebus verſati, ſummam erga te benevolentiam ſervent, atque moribus ſint tui ſimiles: ſed DEI claritas oſtendit, qui ſint hujuſmodi digni.

Q. 53. Quid Regibus maximè ſit neceſſarium? ℟. Subjectorum amor, & dilectio, per hæc namque inſolubile benevolentiæ vinculum texitur: DEUS enim ea perficit, quæ rectè eliguntur.

Q. 54. Quis ſit orationis finis? ℟. Propoſito, de quo dicendum eſt, adverſario perſvadere, diluendo contraria, & in-

inepta ostendendo. Sic enim inoffenso currens pede, finem multa laude assequetur. Sed DEI opere dirigitur persvasio.

Q. 55. Quomodo multis in regno populis Rex se accommodet? R. Si decenter cuique distribueris, justitiamque quemadmodum facis, ducem sequaris, præbente DEO, tibi recta discernere.

Q. 56. In quibus tristandum? R. In amicorum adversis; quandoquidem diuturna ea, & inevitabilia cernimus, quæve calamitatibus opertos interimant. Nam in his mœstitiam nulla ratio levat, De iis enim, in quibus desperamus, neque quidquam in illis utile invenimus, mortales omnes contristantur. Malum verò omnino effugere, divinæ potentiæ est.

Q. 57. Quare quis inglorius fiat? R. Si quando superbiâ quis ductus exasperetur; tunc vituperationes subeunt, & gloriæ privatio. Nam DEUS totius gloriæ dominator, eam, quò vult, declinat.

Q. 58. Quibus seipsum credere oporte-

porteat? ℞. Iis, qui tibi benevolentiâ ita afficiuntur, ut neque timore, neque cupiditate ulla, lucrove tangantur. Amoris verò ſignum difficulter apparet, & temporis obſervatione indiget. Nam qui divitiis intendit, naturâ proditor exiſtit. At tibi omnes, tui amatores adſunt: DEO tibi recta conſilia præbente.

Q. 59. Regnum quid conſervet? ℞. Cura, & meditatio, nè quid à rerum Præpoſitis malè agatur, committaturque in plebem. Quemadmodum facis, cùm tibi DEUS præſtantem intellectum præbeat.

Q. 60. Quâ re gratia, honorque ſervetur? ℞. Virtute. Ea enim pulcherrimorum operum perfectrix, malum conculcat. Quemadmodum & Tu quidem, excellenti erga omnes bonitate obſervas, quod divino tibi munere præſtatur.

Q. 61. Quomodo etiam in bellis ſe quis pacifico animo habeat? ℞. Si propoſueris animo, nihil perperam à tuis ducibus committi: verùm omnes de virtute inter ſe certare; quoniam eam ſpem

animo fixam habeant, Te suarum rerum curam gesturum; si illos vita cedere contingat. Non enim tristitia afficieris, quandoquidem cuncta divino munere rectè disponas, præbente DEO tibi bona sapere.

Q. 62. Quemadmodum Rex rectè ratiocinetur? ℟. Si tecum reputaveris & dicta ipsa, & à quo dicantur, & qua quisque de re loquatur, eandemque multo post tempore variis modis perquisieris. Nam ingenii acumen ad discernenda quæque quemadmodum & Tu possides Rex, DEI pulcherrimum donum est.

Q. 63. Unde est, quod plerique virtutem non assequantur? ℟. Quoniam natura omnes mortales incontinentes, & ad voluptates pronos finxit; ex quibus injustitia gignitur, & avaritiæ cumulus. (NB. Subintellige: natura, per peccatum nostrorum primorum parentum depravata:) Virtutis verò status alto loco fixæ, eos maximè prohibet, ac rejicit, qui voluptatibus devincuntur. Fortitudinem namque, & justitiam potissimùm colendas jubet, quorum ductor, & largitor DEUS est.

Q. 64.

Q. 64. Quid Reges potiſſimùm ſequi oporteat? ℟. Leges, ut juſtis operationibus mortalium vitam regant; quemadmodum & Tu peragens, perennem tui memoriam feciſti, divina præcepta ſecutus.

Q. 65. Qui Magiſtratibus præficiendi? ℟. Quicunque iniquum odio habent, ac tuos imitantur affectus: laudumq; dulcedine tracti juſta ſemper ad adipiſcendam gloriam operantur: Quod & Tu profectò Rex, quandoquidem DEUS juſtitiæ coronam tribuit, aſſequeris.

Q. 66. Qui ſint in Duces eligendi. ℟. Illi, qui fortitudine, & juſtitiâ excellant; quique hominum ſalutem cruentæ victoriæ anteponant. Nam & DEUS bona ad omnes operatur: quem ſecutus bonos afficis ſubditos tuos.

Q. 67. Qui vir admiratione dignus ſit? ℟. Quicunque gloria, divitiis, & potentiâ exuberans, æquam tamen erga omnes mentem habeat. Quemadmodum & Tu, talem te gerens omnibus admirandus exiſtis. DEUS enim in hanc curam te ducit.

Q. 68. In quibus rebus diutiùs Reges versari debeant? R. In rerum gestarum cognitione; in legendisque incumbentium operum libellis, temporis plurimum assumere oportet, & quæcunque ad servanda regna, emendandosque hominum mores scripta sunt, perquirere. Quod Tu cum studio peragis. DEusq; tua consilia secundet, excellentem super alios gloriam obtines.

Q. 69. Quid per otium agendum sit, ne inertiâ torpeas? R. Considerandum esse cum multa diligentia, quæcunque in mentem veniunt, & ante oculos vitæ formam, & imaginem quandam proponendam, tum quâ quæque vi perfecta sint, considerandum. Est enim & in his decus suum, & eruditio quædam. Nam sæpè & in minimis egregium quiddam elucet, quod eligas. Tu verò, quando bonitatem tibi DEUS sufficit, elegantiam omnem propter philosophandi studium, amplecteris.

Q. 70. In conviviis quomodo transigendum sit? R. Discendi cupidi assumendi, & qui regni negotia meminisse

possint, & principum vitas narrarè. His namque suavius nihil, nihil jucundius invenies. Quoniam ii ad eruditionis pulcherrima quæque instructi DEUM venerantur. Quòd tu profectò facis, cùm præsertim tibi cuncta DEUS fortunet.

Q. 71. Quid potiùs sit populis: an privatum quempiam Regem sibi constituant, an verò ex Rege genitum Regem sequantur? ℞. Id, quod naturæ decentius est. Etenim cum Reges ex Regibus orti insvaves, & asperi erga populos habeantur; longè magis & qui à privato loco ad hanc magnitudinem evehuntur: quando & pauperiem, & duros labores experti sunt, truculentiores impiis tyrannis evadent, vi quadam subjectis imperantes. Verùm, mos & institutio communis, valentissima ad regnandum est; quemadmodum Tu Rex magne imperas. Nam non tantum gloria, & imperio, & divitiis excellis, quantum mansuetudine, & benignitate universos DEi munere allicis.

Q. 72. Quid sit in regno optimum? ℞. In pace semper populos continere,

atque in causis peragendis quantocyus rectè dijudicare. Hæc per principem fiunt, quando malos exosus, bonos diligit, plurimique æstimat, si hominis, animam salvam reddat. Sicuti & Tu, qui hominis necem summum ducis scelus, cunctaque justitiâ moderaris perennem gestorum tuorum gloriam exornas. Cùm DEUS Tibi liberam malis mentem, omnique labe exemptam illustraverit.

RESPONSA ÆSOPI ENNO ADOPTIVO SUO DATA,

Super Quæstione: *Quî vita instituenda?*

1. FIli, ante omnia cole DEUM: Regem autem honora.

2. Inimicis tuis terribilem teipsum præbe, nè te contemnant.

3. Amicis facilem, & communicabilem, quò tibi benevolentiores sint.

4. Semper uxori tuæ bene adhære, nè alterius viri periculum facere velit, leve enim est mulierum genus, & adulatum

latum minùs malum cogitat.

5. Velocem auditum ad ſermonem nè poſſide.

6. Lingvæ continens eſto.

7. Bene agentibus nè invide ſed congratulare: invidens enim, teipſum magis offendes.

8. Domeſticorum tuorum ſatage, ut te non ſolùm ut dominum timeant, ſed etiam ut benefactorem venerentur.

9. Nè pudeat diſcere ſemper meliora.

10. Mulieri ne unquam ſecreta credas, nam ſemper armatur, quomodo tibi dominetur.

11. Quotidie in craſtinum reconde, melius enim eſt mortuum, inimicis relinquere, quàm viventem, amicorum indigere.

12. Salutato facilè, qui tibi occurrunt; ſciens & catulo caudam, panem comparare.

13. Bonum eſſe nè pœniteat.

14. Suſurronem vivum ejice domo tua, nam quæ à te dicuntur, & fiunt, aliis communicabit.

15. Fac quæ te non mœſtum facient.

Contingentibus nè triſtare; neque prava unquam conſulas, neque mores malorum imitare.

QUÆSTIONES,
Et Reſponſa Philoſophorum Magno Alexandro data. *Ex Plutarchi Convivio.*

CUm decem diverſi Philoſophi acceſſiſſent ad Alexandrum ſequentes eis fecit propoſitiones: ad quas illi, ut ſequitur, reſponſum dederunt.

1. Vivine plures an mortui? ℟. Vivi, cùm mortui ne amplius quidem ſint.

2. Terra, an mare, majores belluas gignat? ℟. Terra, cujus portio ſolùm, mare.

3. Quod animal callidiſſimum? ℟. Quod homo nondum cognovit.

4. Cur Sabbam Principem, contra ſe, per rebellionem concitaſſent? ℟. Ut honeſtè viveremus, aut malè periremus.

5. Dies, an nox prior? ℟. Dies, uno die

die prior fuit die sequenti, adeoque & prior nocte.

6. Quomodo quis sibi possit conciliare hominum affectum? ℟. Si potens sit, & non timeatur.

7. Vita an mors valentior? ℟. Vita, quæ tam multa mala ferre potest.

8. Quomodo ex homine quis DEus fieri possit? ℟. Si Deo digna faciat.

9. Quousque Hominem vivere deceat? ℟. Usque mortem præ vita judicet meliorem.

Demum ad decimum conversus Alexander, velut ad Judicem cæterorum, quærit, recténe responsum sit ab omnibus? Cui ille: unum præ altero semper esse somnolentiorem. Ergo, inquit Alexander, tibi moriendum est. Convenerat enim inter eos, ut ænigma non solventi certa esset mors. Nequaquam, respondit Philosophus: nam initio dictum eum periturum, qui primus malè responderet. Quo audito, singuli à Rege muneribus donati, & liberi dimissi sunt.

RESPONSIONES
SAPIENTUM GRÆCIÆ,
Ad quæſtionem:
Quæ Reſpublica, aut quæ Civitas optimè conſtituta ſit?
Ex Plutarchi convivio.

SOlonis: Mihi, inquit, videtur Civitas maximè fore beata, & conſervatura popularem ſtatum, in qua injuriæ alicujus auctorem non minùs illæſi, quàm qui læſus eſt, in jus rapiant, puniantque.

Bias dixit; eum popularem Reipublicæ ſtatum eſſe optimum, in quo legem univerſi, tanquam tyrannum metuant.

Thales dixit: ibi eſſe fortunatum ſtatum Reipublicæ, ubi neque divites nimis, neque nimis pauperes Cives ſint.

Anacharſis verò eam prætulit, in qua, cùm reliqua omnia æqualia habeantur, virtuti tamen potior, vitio autem deterior conditio deferatur.

Cleobulus pronunciavit populum facturum officium ſuum, ſi Cives reprehen-

ſionem

ſionem magis, quàm legem metuant.

Pittacus autem ibi felicitatem fore dixit maximam, ubi magiſtratum gerere non licet malis, licet bonis.

Tandem Chilo optimam Rempublicã exiſtimavit, in qua maximè Leges, minimè Oratores audiuntur.

Poſtremus Periander cenſuit, his omnibus pronunciatis, eam ſibi videri cõmendandam Reipublicæ formam, quæ ſimillima ſit Optimatûm in Civitate gubernationi.

His addi poteſt, ex Antonio Gvevarra, Horologii Principum p. 3. aſſerente ex M. Aurelio, ſcriptum quoddam in Capitolio repertum fuiſſe, quod hujuſmodi ſententiam continebat.

Væ Regno, ubi inter probos, ac improbos nulla diſcretio.

Ubi ſtultitia fovetur, & ſapientia contemnitur.

Ubi pietas timida, audax impietas.

Ubi pacifici deriſi, rebellia capita, accepti.

Ubi raptoribus præmia, defenſoribus boni publici, pœnæ:

Ubi

Ubi paupertati superbire, & divitibus tyrannis esse licet:

Ubi omnes corruunt in malum, & nemo procurat, quod æquum.

Ubi ea fiunt palàm, quæ alibi nec occultè fieri fas est.

In quo quisque quærit, quod appetit, & quod appetit, obtinet.

Et quæ mala sunt, cogitat & omnia, quæ turbida capita promittunt, possunt, & quæ possunt efficere, student.

Aristoteles verò 2. Polit: cap. 9. inquit: Signum Reipublicæ bene institutæ est, quòd populus in suo permaneat loco.

Guilielmus Palardus autem in summa virtut. lib. 1. p. 1. c. 3. Regnum, inquit, bene institutum est, si rectè in eo consulatur, & rectè imperetur, & rectè obediatur.

RESPONSA ÆSOPI, & THALETIS.

Ad nonnulla Quæsita.

Ex Plutarchi Convivio.

Re-

Reſponſa Æſopi.

I. Quid eſt antiquiſſimum?
℟. Tempus.
II. Quid maximum?
℟. Mundus.
III. Quid ſapientiſſimum?
℟. Veritas.
IV. Quid pulcherrimum?
℟. Lux.
V. Quid communiſſimum?
℟. Mors.
VI. Quid utiliſſimum?
℟. DEUS.
VII. Quid damnoſiſſimum?
℟. Genius.
VIII. Quid robuſtiſſimum?
℟. Fortuna.
IX. Quid facillimum?
℟. Svave.

Reſponſa Thaletis.

1. Quid eſt antiquiſſimum? ℟. DEUS. ortu enim caret.

2. Quid maximum? ℟. Locus. Reliqua enim cuncta continet.

3. Quid pulcherrimum? ℟. Mundus.

Omnes

Omnes enim ejus partes ex ordine aptæ sunt.

4. Quid sapientissimum? ℟. Tempus. Id enim alia invenit, alia inveniet.

5. Quid communissimum? ℟. Spes. quibus enim omnia desunt, spe divites sunt.

6. Quid utilissimum? ℟. Virtus. Hæc enim reliqua quoque, rectè iis utendo, utilia facit.

7. Quid damnosissimum? ℟. Animi vitium. Hujus enim præsentiâ plurima bona corrumpuntur.

8. Quid validissimum? ℟. Necessitas. Hæc enim sola insuperabilis.

9. Quid facillimum? ℟. Quod est naturæ consentaneum.

QUÆSTIONES,
Et Responsa ex vita Secundi Philosophi.

Ex LONNICERO.

INdixerat sibi Secundus, Adriani Imperatoris temporibus Philosophus æternum silentium, ad quod violandum, neque

neque ferro, neque aliter intentata morte induci potuit. Itaq; ab Adriano, quæstionibus laceſſitus, ad eas in hunc modum, ſcripto reſpondit.

1. Quid eſt DEUS? ℟. Eſt mens æterna, altitudo immenſurabilis, contemplatio non excogitata, modus quidam mille modorum, ſpiritus omnibus bonis abundans, oculus nunquam connivens, natura omnia continens, lux hominum.

2. Quid eſt cœlum? ℟. Eſt globus rotundus, ſemper mobilis, tectum, & fornix totius mundi.

3. Quid eſt Sol? ℟. Eſt oculus diurnus, noctis perſecutor, naturæ, & cæli decus, cæleſtis peregrinus, caloris ambitus, & peripheria, ſplendor ſinè occaſu, ignis inextingvibilis, horarum menſurator, & diviſor.

4. Quid eſt Luna? ℟. Eſt purpura cæli, Solis aſſecla, malè agentium hoſtis, peregrinorum ſolatium, regimen navigantium, ſignum feſtivitatum, menſium repetitio, oculus noctis, roris author, prognoſticum tempeſtatis.

5. Quid eſt homo? ℟. Eſt mens incorpo-

corporata, anima laborioſa, domus breviſſimi temporis, cuſtodia ſpiritûs, vitæ vigil, & miles, vitæ prodigalitas, lucis deſertio, motus æternus, tranſiens nuncius, hoſpes mundi, mortis mancipium.

6. Quid eſt mulier? ℞. Eſt hominis cloaca, pecus inſatiabile, perpetua cura, ſemper inſtans bellum, quotidianum damnum, ſolitudinis impedimentum, incontinentis viri demerſio, adulterii vas, prælium internecinum, animal peſſimum, onus graviſſimum, fatalis infectio ſerpentis, vivorum captivitas.

7. Quid eſt fides? ℞. Eſt ignotæ rei mira certitudo.

8. Quid eſt vita? ℞. Eſt beatorum ſolatium, triſtitia miſerorum, mortis expectatio.

9. Quid eſt mors? ℞. Eſt ſomnus æternus, hominis diviſio, metus divitum, deſiderium pauperum, eventus inevitabilis, latro hominis, incerta, peregrina ſomni mater, abitus vitæ, vivorum ſeparatio, & omnibus rebus vale.

10. Quid cura? ℞. Eſt ultro accerſitum

tum malum, hominum occupatio, experta libido, mortis meta, perpetuum, & optatum deliquium.

11. Quid eſt ſpes? ℞. Dubius eventus, laboris recreatio.

12. Quid eſt navis? ℞. Eſt labor marinus, domus ſinè fundamento, avis lignea, ſalus incerta.

13. Quid litera? ℞. Satelles hiſtoriæ, conſervatrix memoriæ.

14. Quid ſunt divitiæ? ℞. Onus avarorum, famulitium curarum, voluptas repudianda, incurabilis invidia, inſatiabilis cupiditas, os altum, & inviſibile deſiderium.

15. Quid eſt paupertas? ℞. Bonum, cui non invidetur, ſanitatis mater, curarum abjectio, ſapientiæ reſtauratio, ſinè damno labor, divitiæ ſinè calumnia, patrimonium ſinè detractione, fortuna incerta, & ſinè cura felicitas.

(o)

Ex

Ex Tractatu D. MAXIMI EPISCOPI Bracharenſis, de Virtute.

Super Quæſtione:

Quæ ſit vera prudentia?

QUiſquis prudentiam ſequi deſideras, tunc per rationem rectè vives, ſi omnia priùs exiſtimes, & perpenſes; & dignitatem rebus non ex opinione multorum, ſed ex earum natura conſtituas. Nam ſcire debes, quia ſunt, quæ videantur eſſe bona, & non ſunt, & ſunt, quæ videantur non bona eſſe, & ſunt.

2. Quæcunque autem ex rebus tranſitoriis poſſides, non mireris, nec magnum exiſtimes, quod caducum eſt, nec apud te, quæ habes, tanquam aliena ſervabis, ſed pro te, tanquam tua diſpenſes, & utaris.

3. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris; & prout rerum, ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, ſed potiùs

tiùs aptes: ſicut manus, quæ eadem eſt, & cùm in palmam extenditur, & cùm in pugnum adſtringitur.

4. Prudentis proprium eſt, examinare conſilia, & non citò facili credulitate ad falſa prolabi.

5. De dubiis non definias, ſed ſuſpenſam teneas ſententiam. Nihil inexpertum affirmes; quia non omne veriſimile ſtatim verum eſt; ſicut & ſæpius quod primùm incredibile videtur, non continuò falſum eſt.

6. Crebrò ſiquidem faciem mendacii veritas retinet: crebrò mendacium veritatis ſpecie occulitur. Nam ſicut aliquando triſtem frontem amicus, & blandam adulator oſtendit; ſic veriſimilitudine coloratur veritas, & ut fallat, vel ſurrepat, coloratur.

7. Si prudens eſſe cupis, in futurum, proſpectum intende: & quæ poſſunt contingere animo tuo, cuncta propone.

8. Nihil tibi ſubitum ſit; ſed per otium antè conſpicies. Nam qui prudens eſt, non dicit: non putavi quidem hoc fieri,

fieri, quia non dubitat, sed exspectat; nec suspicatur, sed cavet.

9 Cujuscunque facti causam require. Cùm initia inveneris, exitus cogitabis.

10. Scito te in quibusdam debere perseverare, quia cæpisti: quædam verò nec incipere, in quibus perseverare sit noxiū.

11. Prudens fallere non vult, falli non potest. Boni est viri etiam in morte neminem fallere.

12. Opiniones tuæ judicia sint. Cogitationes vagas, & inutiles, & velut somnio similes, non recipies, quibus si animus tuus se oblectaverit, cùm omnia disposueris, tristis remanebis.

13. Sed cogitatio tua stabilis, & certa sit; & sive deliberet, sive quærat, sive contempletur, non recedet à vero.

14. Sermo quoque tuus non sit inanis; sed aut svadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat.

15. Lauda parcè, vitupera parciùs. Nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, & nimia vituperatio. Illa siquidem adulationis, ista malignitatis suspecta est.

16. Testimonium veritati, non amicitiæ reddes.

17. Cum consideratione promitte; pleniùs, quæ promiseris præsta.

18. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Nam qui nihil de præterito cogitat, perdit vitam, qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.

19. Proponas in animo tuo futura, mala, bona, ut illa sustinere possis; ista moderari.

20. Non semper in actu sis: sed interdum animo tuo requiem dato, & ipsa requies sit plena sapientiæ studiis, & cogitationibus bonis, nam prudens nunquam otio marcet. Habet autem aliquando remissum animum, nunquam solutum. Accelerat tarda, perplexa expedit, dura mollit, exæquat ardua. Scit enim, quid quâ viâ aggredi debeat, & distinctè cuncta videt.

21. Consilium peritorum ex apertis obscura æstimat, ex parvulis magna, ex proximis remota: ex partibus tota.

22. Non te moveat dicentis authoritas; nec quis, ſed quid dicat, intendito. Nec, quàm multis, ſed qualibus placeas, cogita.

23. Id quære, quod invenire poſſis. Id diſce, quod potes ſcire. Id opta, quod optari coram bonis poteſt. Nec altiori rei te imponas, in qua tibi ſtanti tremendum, aſcendenti cadendum ſit.

24. Conſilia tibi ſalutifera advoca. Cùm tibi alludit vitæ proſperitas, tunc te velut in lubrico retinebis, ac ſiſtes. Nec tibi dabis impetus liberos, ſed circumſpicies, quô eundum ſit, vel quousque.

GNOMÆ

Ex Libro Sententiarum Divi BERNARDI.

1. QUatuor ſunt, quibus ſervitur in hoc mundo: Caro, Mundus, Dæmon, DEUS. Caro reddit voluptatem, Mundus ſublimitatem, Dæmon captivitatem, DEUS felicitatem.

2. Tri-

2. Triplex eſt ſtatus hominum: Primus non delinquentium; quod eſt ſervorum. Secundus, delinquere nolentium, quod eſt filiorum: tertius delinquere non potentium, quod eſt Beatorum.

3. Quatuor ſunt, quæ devotionem adaugent: Memoria peccatorum; recordatio pœnarum, conſideratio vitæ peregrinantis, & deſiderium vitæ futuræ.

4. Tres DEUS habet ſagittas, quibus ferire ſolet. Amiſſionem pecuniæ; amiſſionem ſanitatis, & amiſſionem vitæ æternæ. His utitur contra inimicos. In Amicos ſimiliter tres ſunt illi ſagittæ: Timor caſtus, Amor devotus, & virtus deſiderii.

5. Tria terrent Ægyptum (Mundum) deſerturos: ſtimulus cupiditatum, cumulus tentationum, & aculeus moleſtiarum.

6. Triplex eſt hominibus via ad mortem. Prima ærumnoſa, in pauperibus; ſecunda laborioſa, in avaris; tertia delicioſa, in divitibus.

7. Triplex est via ad cælum. Sanguinea in Martyribus, purpurea in Confessoribus, lactea in Virginibus.

8. Pretiosam mortem aliquando facit vita, ut in Confessoribus; aliquando causa, ut in Martyribus, aliquando utrumque.

9. Tria pœnitenti sunt necessaria: abstinentia, lectio, oratio.

10. Ex tribus, oritur bonis dolor: quia exclusi sumus è paradiso; quia exules in hoc mundo, & quia nondum in Regno.

11. Tres Principes sunt extinguendi: Prudentia sæcularium, copia temporalium, & eloquentia spiritualium.

12. Quadruplex est genus hominum circa cælum occupatorum. Nam alii regnum cælorum rapiunt, ut pauperes spiritu: alii mercantur, ut eleemosynarii; alii furantur, ut mulier tangens fimbriam Christi: alii compelluntur intrare, ut pauperes hujus sæculi.

13. Quatuor sunt, quæ ad humilitatem conferunt: vilitas operis, assiduitas subjectionis, comparatio melioris, & judi-

judicium Conditoris.

14. Quatuor sunt fures, & latrones, qui optima quæque nobis auferunt: socordia, lascivia, jactantia, & vitæ appetentia.

15. Tria nos tenent in obsequio: memoria mortis, zona pellicea, & amata justitia!

EX LIBELLO S. THOMÆ,

De Quatuor.

1. QUatuor sunt Virtutum species: Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia.

2. Quatuor docet Prudentia: præterita recordari, disponere præsentia, futura providere, & dubia suspendere.

3. Quatuor sunt, quæ ad prudentiam inducunt; in scientiis studium, in rebus experimentum, nocturna discussio, & prudentium imitatio.

4. Quatuor docet justitia: honestè vivere, alterum non lædere, sobriè judicare, & jus suum cuique tribuere.

5. Quatuor nos fortitudo instruit: in

prosperitate non erigi, in adversis non deprimi, in injuriis vindictam non sumere, & jucundam fugere vitam.

6. Quatuor ad constantiam inducunt: timor pudicus, timor supplicii, spes laudis, & spes compendii.

7. Quatuor præstat Temperantia: circumcidit superflua, restringit desideria, abstinet ab illicitis, & rejicit blandimenta.

8. Quatuor inducunt temperantiam: ægritudinis formido, acquirendi cupido, DEi obsequium, & hypocrysis vitium.

9. Quatuor proveniunt ex superbia: ingratitudo, oppressio, detractio, & rixa.

10. Quatuor ex avaritia; rapina, penuria, fraudes, & homicidia.

11. Quatuor ex gula: corporis ægritudo, opum consumptio, delectatio nimia, & mors præmatura.

12. Quatuor ex ira: mentis turbatio, sui ignoratio, indecens factio, & iniqua sententia.

13. Quatuor ex luxuria: corporis, & animæ

animæ ſordes, ſenſuum debilitas, patrimonii diminutio, & ſenii acceleratio.

14. Quatuor ex invidia: dolor, exitium, diſtenſio populi, & urbium everſio.

15. Quatuor ex acedia: triſtis vita, calamitas, contemptus, & egeſtas.

16. Quatuor evehunt ad ſuperbiam: cenſus, potentia, dignitas, & copioſa parentela.

17. Quatuor retrahunt à ſuperbia: paupertas, oppreſſio, ſenium, ægritudo.

18. Quatuor inducunt ad avaritiam: penuriæ formido, ſenectutis oppreſſio, alieni invidia, & filiorum copia.

19. Quatuor avaritiam minuunt: divitiarum copia, ſalubris juventus, cum largis converſatio, & prolis defectus.

20. Quatuor inducunt ad gulam: aſſvetudo tabernæ, guloſorum commercium, redditutuum copia; & quies continua.

21. Quatuor gulam minuunt: lucri anxietas, famis invaſio, fatigatio corporis, & penuriæ afflictio.

22. Quatuor pariunt iram: deriſio, contumelia, ingratitudo, injuſtitia.

23. Quatuor iram debilitant: dulce colloquium, vindicta, satisfactio, & penuria.

24. Quatuor alliciunt ad luxuriam: grandia vitia, delicata cibaria, mulierum familiaritas, & svave otium.

25. Quatuor luxuriam diminuunt: aquæ usus, & ciborum frugalitas, mulierum sævitia, sangvinis minutio, & laboris assiduitas.

26. Quatuor invidiam pariunt: honoris cupido, lucri desiderium, alterius felicitas, & cum vitio odium.

27. Quatuor invidiam evellunt: potentiæ privatio, penuriæ eventus, sensuum elisio, & virtutum defectus in altero.

28. Quatuor producunt acediam: loca obscura, quies solitaria, rumor displicibilis, & cogitatio debilis.

29. Quatuor acediam minuunt: conversari cum dilectis, assvescere gaudentibus, conviviis insistere, & interesse dulcibus melodiis.

30. Quatuor Domicello conveniunt: in serviendo curiositas, in agendo ve-

 loci-

locitas, in dativis affabilitas, in gestis hilaritas.

31. Quatuor Domicellæ conveniunt: in vultu formositas, in corpore castitas, in gestibus honestas, in domo curiositas.

32. Quatuor facilè beneficiorum fiunt immemores: puer, cùm adoleverit: humilis, cùm exaltatus fuerit; superbus, cùm premetur; & incarceratus, dum liber evaserit.

33. Quatuor sunt genera hominum, plus metentium, quàm serentium. Reges, Agricolæ, Mercatores, & Sacerdotes.

34. Quatuor egent prudentiâ: Sacerdos in imponenda peccatori pœnitentia: Judex in ferenda sententia; Medicus circa ægrotum occupatus, & Dives volens custodire thesaurum suum.

35. Quatuor sunt hominis amici: propter fortunas, propter mensam, propter servitium, & propter fidem.

36 Quatuor sunt mutabilia: Voluntas mulieris, ventus in vere, sors in prosperis, turbatio in adversis. Aliter: lar-

gitas non durat; sensus non semper securat; curialitas nonnunquam fallit; & mensura nonnunquam omittit.

37. Quatuor sunt, quibus frustrâ bene feceris: Debitor, cui ultro debitum remittitur; puer, cùm propter correptionem castigatur; lethargicus, dum à somno excitatur, & phreneticus, cum illi sanitatis causâ membrum secatur.

38. Quatuor dantem non deserunt: scientia communicata, lux de lucerna alteri procurata, assurrectio corporalis; & curialitas verbalis.

39. Quatuor non ferunt parem: Rex, maritus, quæstor, & occupatus in paropside.

40. Quatuor quærunt habere socium: versans in discrimine; afflictus, & mœstus; itinerans, & in dignitate collocatus, quippe spectari avidus.

41. Quatuor res faciunt, qui senes sunt: sæpe consulunt, tepidè tribuunt; laudant præterita; vituperant præsentia.

42. Quatuor sunt difficilia: aliena possidere, & restituere, contumeliam audire,

dire, & tacere; injuriam pati, & sustinere; chara tractare, & non frui.

43. Quatuor sunt mirabilla: quòd sol quotidie cælum decurrit, quòd terra aquam fundit; quòd tanta dissimilitudo inter homines, & quòd tot è vita discedentes, eundem tamen finem petant.

44. Quatuor sunt repentina gaudia: carceribus egredi, sponsam accipere, miles fieri; & dignitatem adipisci.

45. Quatuor malum pro bono reddunt: Ovum, cùm in peram includitur, ignis, cùm in sinum mittitur: serpens in gremium receptus; & homo nequam beneficiô elevatus.

46. Quatuor res, inimicos faciunt: mutuò dare, & repetere; fide jubere, & velle solvi, annuè largiri, & desistere, servire, & non posse servitium recipere.

47. Quatuor sunt majore numero, quàm fortè putemus: adversarii, peccata, anni ætatis, & debita.

48. Quatuor sunt facilè acquisibilia, contemptus sui, fatuitas, penuria, & infirmitas.

49. Quatuor hominem domo pellunt: fumus, stillicidium, fætor, & mala fæmina.

50. Quatuor hominem domum reducunt: Amor suorum, loci amœnitas, defectus sodalium, & adversitas.

EFFATA
DIVINARUM SCRIPTURARUM isthuc facientia.

1. DUo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram, & perditionem. Anima calida, quasi ignis ardens, non extingvetur, donec aliquid glutiat, & homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque in finem. Eccli 23.

2. In duobus contristatum est cor meum, & in tertio mihi iracundia advenit. Vir bellator deficiens per inopiam; & vir sensatus contemptus; & qui transgreditur à justitia ad peccatum: DEUS

DEUS paravit eum ad romphæam. Eccli. 26.

3. Duæ ſpecies difficiles, & periculoſæ mihi apparuerunt. Difficilè exuitur negotians à negligentia, & non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum. Eccli. 26.

4. Duas gentes odit anima mea, tertia autem non eſt gens, quam oderim. Qui ſedent in monte Seir, & Philiſtiim, & ſtultus populus, qui habitat in Sichimis. Eccli. 50.

5. Tria ſunt difficilia, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cælo; viam colubri ſuper petram: viam navis in medio mari; & viam viri in adoleſcentia. Prov. 30.

6. Per tria movetur terra, & quartum non eſt ſuſtinere: per ſervum, cùm regnaverit; per ſtultum, cùm ſatiatus fuerit cibo; per odioſam mulierem, cùm in matrimonio fuerit heres Dominæ ſuæ. Prov. 30.

7. Tria ſunt, quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter. Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pave-

bit occursum: gallus succinctus lumbos; & aries. Nec est Rex, qui resistat ei. Prov. 30.

8. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram DEO, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir, & mulier bene sibi consentientes. Eccli. 25.

9. Tres species odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum. Pauperem superbum: divitem mendacem, senem fatuum, & insensatum. Eccli. 25.

10. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit. Delaturam civitatis; & collectionem populi: calumniam mendacem; super mortem omnia gravia. Dolor cordis, & luctus mulier zelotypa. Eccli. 26.

11. Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi, Lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum. Regem locusta non habet, & egredietur universa per turmas suas. Stellio

lio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis. Prov. 30.

12. Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus. Oculos ſublimes: lingvam mendacem: manus effundentes innoxium ſangvinem: cor machinans cogitationes peſſimas: pedes veloces ad currendum in malum: proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Prov. 6.

CONSECTARIUM.

Omnis res appetit beatitudinem:
Homo etiam quærit.
Eſt autem hominis in hac vita
BEATITUDO,
(*Secundùm Ariſtotelem 1. Rhet. c. 5.*)
Proſperitas cum virtute:
In vita altera, ſecundùm Theologos,
Æterna SUMMI BONI poſſeſſio.
Per primam itur ad ſecundam:
Quemadmodum olim apud Romanos,
per ædem Virtutis;

Iba-

Ibatur ad templum Honoris.
Ut habeas aliquando utramque,
Respice ad DEUM:
Respice te ad te,
Respice te ad proximum.

Inprimis stude DEUM cognoscere,
quæ ejus Potentia, Sapientia,
Bonitas, Justitia, Misericordia,
Et ubique diffusa Immensitas;
Omnia isthic infinita.

Ex cognitione Entis tam nobilis
Nasci necessum erit
Æstimationem, eamque summam,
Cùm in illo Ente nihil parvum sit.

Nascetur & Amor: quis enim non amet id,
quod summè bonum, summeque
Pulchrum sit?

Creator, Dominus, Pater, Legislator,
Justus, misericors est:
Reverere, ut Creatorem,
Time, ut Dominum,
Dilige, ut Patrem,
Observa, ut Legislatorem,
Crede, ut in Justum,

Spera,

Spera, ut in Misericordem.
Nè despexeris præcipientem:
Infernus est, quod minatur;
Cælum, quod promittit.
Omnia tua illius sunt;
Quia ipse factor omnium:
Fac, ut etiam
Voluntate tuâ, & dono tuo,
Ipsius sint.
Nil ita timescendum tibi, quàm ab eo recedere.
Nil ita curandum, quàm illi adhærere, & obsequi.
Nil ita æstimandum, quàm eundem coluisse,
Prece, votis, affectibus.
Neque id intrà parietes solùm:
Supra tecta enarrabis, si possis ejus magnalia.
Totq; in ejus amorem, quot poteris,
Trahes animas, dicens:
Hunc amemus, hunc.

Id si minus valebis, valebis tamen,
Ut tibi sit optima mens, optimus animus,

Qui

Qui secundum Romanum Sapientem,
Pulcherrimus DEI cultus est,
Qui ut tibi non desit, respice te, ad te.
Esto bonus tibi, tum enim eris, & aliis,
Esto, quod videri voles.

Pulcherrimum illud domicilium,
Quod virtutes concinnant, vel incolunt.

Tale est, in quo columnarum sustinent vicem,
Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia,
Prudentia docet.
Meminisse præterita, discutere præsentia,
Prævidere futura.

Prudentis est de dubiis non definire,
Inexperta non affirmare,
Examinare consilia,
Neque facili credulitate ad falsa prolabi.
Nihil illi subitum;
Totum antè conspicit,
Et cum initia invenit, exitus cogitat.
Nec fallere vult, nec falli potest.

Prudentissimè quidam ex Prudentissimis:
Noli facere omnia, quæ potes,
Quia

Quia ſuperbia eſt:
Noli inquirere omnia, quæ neſcis,
Quia curioſitas eſt:
Noli dicere omnia, quæ ſcis,
Quia ſtultitia eſt:
Noli credere omnia, quæ audis,
Quia levitas eſt:
Noli dare omnia, quæ habes,
Quia prodigalitas eſt:
Noli judicare omnia, quæ vides,
Quia temeritas eſt.

Juſtitiam coles,
Si unicuique dabis ſuum;
Si contentus tuis, non inhiabis alienis,
Si Creditoribus rem ſuam præſtabis,
Mercenarios non tardâris,
Non fraudâris,
Cadentem levâris, ruentem ſuſtinueris;
Si probos tuearis, deteſteris improbos;
Et ſemper illius vivas memor:

Alii dividunt propria, & ditiores fiunt:
Alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.

De Philippo Macedone ſupplementum Curtii c. 1.

Vixit

Vixit Philippus annos 47.
Regnavit 25. Macedonum Rex:
Cui maximæ opes instrumenta bellorum:
Divitiarum quæstu, quàm custodiâ solertior:
Itaque inter quotidianas rapinas semper inops.

Fortitudinem animi exercebis,
Si in rectè agendo,
Nec vincaris pudore, neque necessitate:
Illud persvasum habe,
Semper magnarum mentium fuisse,
Aut fortia agere, aut pati.
Dicere: hoc, atque hoc faciam,
(modò justum sit)
Animi est virilis;
Dicere: hoc, atque hoc non feram,
Animi effæminati.
Mentis generosæ ardor,
Adversitatibus irritatus accenditur,
Non minùs ac per antiperistasim,
Ignis urgeri solet,
Animus fortis inter naufragia, sibi cautes est;

De illo loquor,
Qui uni cælo innixus, nec timendos,
Habet ſiderum ruentes cardines!
Militandum eſt nobis,
Inquit apud Romanum Sapientem Homo fortis,
Et quidem genere militiæ,
Quo nunquam quies, nunquam otium datur.
Perſequere vitia ſinè fine, ſinè modo:
Nam illis quoq́; nec finis, nec modus eſt.
Projice, quæcunque cor tuum laniant,
Quæ ſi aliter extrahi nequeunt,
Cor ipſum cum illis evellendum erat.
Durum, & laborioſum negotium nobis datum eſt:
Imus per obſtantia:
Itaque pugnemus: non vincendi, niſi velimus!

Temperantiam coles,
Si corpus tuum habeas,
Non tanquam cui vivas,
Sed tanquam id, ſinè quo non vivitur.
Sapienti menſura cupiditatum,
Non commoditas, ſed neceſſitas eſt.

Volu-

Voluptates illi, ut insidiæ,
Posita in animi ruinam.
Oculos, aures, linguam, mentem,
In obsequio habet:
Nihilq; horum amat, si his perire possit;
Frænum illi semper ad manum,
Et omnis in fræno affectus est.

Curam nostri natura mandavit,
Sed huic, ubi nimium indulseris, vitium est.
Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit.
Non ut illam peteremus,
Sed ut ea, sinè quibus vivere non possumus,
Gratiora nobis illius faceret accessio,
Si suo jure veniat, luxuria est.

Ergo intrantibus resistamus; quia faciliùs
Non recipiuntur, quàm exeunt.
Hactenus de ædificii columnis;
Nunc aliquid de Isocratis sapientia, accipe.

Exercitationes corporis eas amplectere,
Quæ ad valetudinem tuendam,

Non

Non quæ ad robur valeant:
Quod utique conſequeris.
Si adhuc laborare ſufficiens, deſinas.
Neque cachinno infræni delecteris;
Neque ſermonis audaciore petulantiâ,
Et illud quidem ſtultum eſt,
Hoc autem furioſum, atque inane.

Quod facere turpe eſt, hoc tu quoque dicere,
Indecorum puta.
Ita te conſvefacias,
Ut non difficilis, non triſtis, ſed cogitabundus,
Sed ſeverus eſſe videaris:
Illud te faſtidioſum, & contumacem indicaret,
Hoc prudentem eſſe demonſtrat
Si fortè quid turpe facias,
Nè confidas id diutiùs obſcurum fore;
Quodſi alios lateas,
Certè tibi ipſe eris conſcius.

Tunc probaberis maximè,
Si illa caveas, quæ ſi alii facerent,
Reprehenderes.
Multum diſciplinarum,

Mul-

Multis existima præstare pecuniis:
Hæ quidem celeriter decidunt;
Illæ verò perpetuò, ac semper durant.
Diligentiùs verborum, sermonumque,
Quàm pecuniarum tuere deposita.

Amictus compara, qui ornatum afferant,
Non qui modum excedant.
Compotationum conventus evita:
Si tempus ad illos te detruserit,
Ante ebrietatem surge;
Nam intellectus vino corruptus; ejus,
Qui aurigam perdiderit,
Currûs similis est.

Quodcunque dicturus es, priùs mente voluta;
In plerisque enim menti lingua præcurrit.
Duplex eligendum est in loquendo tempus,
Aut quibus de rebus perspicuè noveris,
Aut quæ diu necessitas ipsa coegerit;
Solis enim in his sermo taciturnitati præstat;
In reliquis verò satiùs est silere, quàm loqui.

In

In consultando fac tibi præteritas res
Exempla futurarum.
Et tardè quidem consultabis,
Quæ autem probata videbuntur,
Perficies celeriter.

Hæc ex Philosopho Gentili.
Nunc ex Christiano * aliquid accipe.
* *Ex D. Martino Episcopo Bracharensi.*

Si vis esse beatus,
Cogita hoc primum,
Æternorum intuitu, contemnere, & contemni.
Multos vitam differentes,
Mors juncta prævenit.
Itaque omnis dies velut ultimus judicetur:
Verba rebus; non personis æstimanda sunt.
Oratorem te puta, si tibi ante omnes,
Quod oportet, persvaseris.
Quid sis, interest; non quid habeas.
Priusquam promittas, deliberes:
Et cùm promiseris, facias.
Maximum in eo vitium est,

Qui non melioribus vult placere,
Sed pluribus.
Quæ ſunt maximæ divitiæ?
Non deſiderare divitias.
Plurimum habet, qui minimum cupit.

Eleemoſyna non tam accipientibus,
Quàm dantibus prodeſt.
Mala conſcientia ſæpè tuta eſt,
Secura nunquam.
Libidinis initia continebit,
Qui exitum cogitabit.

Vitium eſt omnia credere;
Vitium nihil credere,
Stultum eſt ſomno delectari,
Et quaſi mortem moliri.

Quoties ſcribens aliquid dicturus es,
Scito, morum tuorum
Te hominibus chirographum dare.
Quietiſſimam vitam agerent homines
in terris,
Si duo hæc verba à natura omnium rerum tollerent:
MEUM, & TUUM.
Atque hæc hactenus.

Nunc

Nunc te quoque ad proximum reſpice.
Homo es:
Animal Politicum, animal Sociale,
Neque tibi uni natus.

Secundùm Deum,

Homo Homini plurimùm prodeſſe,
Plurimùm obeſſe poteſt. *2. off. Cic.*

Non poteſt tibi alter auferre virtutem,
Poteſt dubiam facere,
Poteſt auferre proſperitatem;
Quemadmodum & illam firmare,
Et hanc augere.

Ergo reſpice ad Alium.
Ille alius
Vel intra pueritiam, vel juventutem,
Vel inter annos viriles, vel in ſenibus eſt;
Abſens, præſens,
Vir, Mulier, Amicus, Adverſarius,
Servus, Dominus,
Superior, æqualis, inferior;
In omnibus his alia ducenda linea.

Alios tenebis, alios trahes,
Alios fugies, alios repelles.

Puerum domi tuæ habebis, ut servum,
Frænum equo, & virga puero.
Contemnit hæc hominum sors,
Quod non timet.

Nescit amare; nescit amari.
Nihil illi secretum,
Nè quidem amorem tuum ei patefeceris.
Quantò tu severior, tantò ille observantior.
Nihil illi ultra conductum promiseris:
Ante peractum opus,
Mercedem non extradideris.

Promittenti permolestus.
Mercedem prævertenti refractarius
Est omnis servus, & puer.

Aliter cum infantia non tua.
Quidquid puero dederis, quidquid dixeris,
Bonum, malum,
Parentibus, Amicis, datum, narratum existima.
Sæpe profuit ad magnam
comparandam gratiam
In aliorum proles liberalem fuisse:
Quod

Quod fit & faciliùs; & acceptatur liberiùs.

Ipſe infans doni memoriam
Ad ſenectutem uſque feret:
Et talis ſeni videberis, qualis puero eras.

Alia res tibi erit cum juvenibus.
His veſtium nitor,
Aliis libri, aliis arma præplacent.

Honorum appetentiores ſunt, quàm munerum.

Læti, amœni,
Et plùs ſodalium gaudent conſvetudine,
Quàm ſuper longa comeſtione.

Hoc ferri genus magis trahes,
Si laudabis, ſi miraberis;
Si amœniora referes,
Quàm ſi donis obrueris.

Donum Juveni datum amorem cauſare poteſt,
Sed qui diem duret.
Ille perſeverat in annos,
Quem morum amœnitas,

Et communis utrique genius,
Procuravit.

In Juventute fallit illud Ethicorum:
Præmium communiter datum vilescit.

Aliter viros, & senectutem habebis, si sapis.
Difficilioris frontis sunt,
Audiri, non audire volunt.

Illum tibi Patronum promitte,
Quem pro Consule,
Pro Dictatore elegeris,
Cujus monita recipies,
Cujus sensa adorabis.

Cum his, si consilia, si dubia,
Si negotia communicabis,
Ad omnia auxiliares Deos invenisti:
Hostes, si præterieris.

Amant esse soli,
Sed & adesse omnibus, autharitate, & notitiâ.
Placent illis historici, & qui
Acta, & infesta ad eos deferunt.

Senibus procurabis necessaria,

Viris

Viris etiam ſuperflua
Sic naſſam impleveris utriſque.

Ut diu ſic ſtare poſſis,
Cave, videaris pluribus deferre thimiamata:
Uni mobili volunt adſcribi omnia.

Mulier Echo eſt, imò & hirundo;
Tacere impotens,
Quidquid illi in aurem dixeris.
De hoc Pythagoras:
Hirundines familiares nè alito.

Amanti dominatur, dominantem amat Mulier.

De hoc malo ſatis, ſi parùm.
Vel oculos in mulierem conjeciſſe periculoſum;
Nè vel invitus ames.

Amicum conſervabis, non Amicum trahes,
Si beneficam voluntatem exhibueris:
Si res illi tuas communes feceris:
Si prudenti familiaritate uſus fueris:
Si mores amici ſimiles indueris;

Si de iis, quæ amat, oditve ſæpius loquaris:
Si ejuſdem ſtudia æmulaberis:
Si facta comprobabis:
Si ſinceris obſequiis adjuvabis:
Si bona eidem apud alios procurâris:
Si juſtitiam adminiſtrabis:
Si dicta, indicta ejus tueberis:
Si reverentiam eidem in agendo habebis:
Si de tui amoris conſtantia certum feceris.

Brevius ille:
Amicum faciunt, & conſervant:

Laus in abſentia;
Honor in præſentia,
Et latum obſequium in indigentia.

Eadem ex inimico amicum facere nata ſunt;
Sed inprimis munus, quod datur in abſcondito,
extinguit iras:
Et donum in ſinu indignationem maximam

Cum

Cum amico tamen reconciliato ſic ages,
ut ille mus,
Qui ad reconciliatam felem dicebat:
Amemus nos à longè.

Imò ſubtrahe quoque quandoq; pedem
à domo proximi tui:
Ne quando ſatiatus oderit te.

Magnates ſic habe;
Ut nec ſis ab iis longé, nec iis nimium
propè:
Si propè conſtiteris, flagras:
Si longius, alges;
Inſcripſit ardenti foco Princeps Magdolonius.

Qualem habere velles ſi te major eſſet,
Nè formica quidem contemnenda;

Quando hoc genus beſtiolarum
Legitur aliquando integram inſulam,
Depaſtum eſſe.

Erga æquales omnes benevolentiæ,
Et honoris modos exhibe:
Sementis eſt, quidquid in his agris jeceris,

Decu-

Decuplo in tuum horreum reditura.
Neque tibi amicos fore speres, quos pro amicis
Non habueris.
Præterquam quòd ab aliis injuriâ exigitur,
Quod vicinis præstare noluimus.

Si justus, si beneficus,
Si in largienda pecunia pro necessitate,
Si in conferenda opera promptus fueris,
Si non contractus in dando,
Non acerbus in exigendo;

Diligent te
Æstimabunt;
Si tibi rerum fuerit copia,
Fama integra,
Jurium, aut rei bellicæ peritia.

Reverebuntur;
Si quæ arcanum requirunt, tecta habebis,
Si sæpe cum Sapientibus cõmunicaveris.
Si amicorum delectum habueris:
Si bene meritis gratiam refuderis.

Fidem habebunt;

Si

Si doctum, ſi prudentem deprehende-
rint.

Hæc tamen omnia
Sic accipienda ſunt,
Ut ſemper præ oculis habeatur finis,
Et ſecundùm finem
Dirigatur curſus;
Qui quidem
In hac vita eſt
Cum Virtute Proſperitas,
In vita altera,
Æterna SUMMI BONI poſſeſſio.